conteris velim, an meas acceperit, nec ne? Multa meditor & inter manus habeo. sed quia negotii plenus nunc sum, nescio quid primum omnium evulgaturus sim. Quandoquidem autem neq. Lankisii heredes, neque Cl. M. Joh. Bened. Carpzovius vester mihi de continuatione meorum Exercitiorum sacrorum scribenti responderunt, alii autem me solicitarunt, juniori vestro Gleditschio eam edendam dedi, cui ut consiliô & operâ in correctione adsis rogo. Carpzovii silentium valde miror; velim illum moneas. at magno illi Dresdensi adjectus ut deferatur fascis, ipsius illius meritis captus facies. Vale & Cl. Colerum salvere jube. A. D. XII. Kal. Septembr. ∞ DCCV. Lugd. Batav.

Sed provehor amore, non enim id propositum est huic Epistolæ, omnes ut in lucem extraham Epistolas MSCras Crenii nostri, quas adservo sanctè. Multa præterea sunt & longa, quæ restant, sed prætereunda & omittenda; quia propediem, & ut primò adfulgebit occasio, exponam paullo verbosiùs. Quamobrem finem facio, & quod reliquum est, meum studium & conatum hunc serviendi illustri nomini tuo ut gratum TIBI acceptumque esse patiaris, majorem in modum, summaque observantia etiam atque etiam contendo. Vale Nationis Marchicæ Gloria, & Generis tui Decus. Vale, Vale, & me aut ama, aut quo contentus sum, dilige. Dab. è Museo Francofurti ad Oderam A. D. XIX. Kalend. Februar. clɔ Iɔccvi. quem feliciter decurrere Te velim, & nostra, quamquam avariſſima, vincere vota.

GEORGI PETRI Schultzen/ D.

DE

CLARIS MARCHICIS

Dissertatio Epistolica II.

Ad

Virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum, magnum & in summa animi magnitudine multa humanitate temperatum, in Republ. maximis gravissimisque caussis cognitum & in primis probatum, Propugnatorem justitiae acerrimum, & de eadem immortaliter meritum

JCTUM,

HENRICUM COCCEJUM,

Augusst. ac Potentiss. Regis Borussiae Consiliatorem intimum, Facultatis Juridicae hac in Universitate Ordinarium, & Antecessorem Primarium.

************:****:******

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Impens. JER. SCHREY & JOH. CHRIST. HARTMANN.
MDCCVI.

QVum in omni genere & honorum & laborum meorum animus, opera, auctoritas, & gratia tua præsto fuit hactenus, cupide elaborare debui, ne posteritatem, si qua futura est, lateat, quanti TE cum universa Europa fecerim ex merito; & quam fuerim beatus, quod TE, sicut alterum parentem & observare & diligere potuerim. Namque ut taceam maxima tua in D. Parentem meum non dico officia sed merita; tantis sum devinctus tuis beneficiis, ut nemini plus debeam, nec ullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possim. Quamobrem, si non est æqvum, tempore & die memoriam beneficii definiri, aureum nomen tuum splendidumque grato hic prosequor animo, eidemque Dissertationem hanc sacram esse volo, jubeo. Quod si facerem quasi Te erudiens, jure reprehenderer; sed ab eo plurimum absum; neque ut ea cognoscas, quæ TIBI notissima sunt, ad TE mitto; sed quia facillime gratus in nomine acquiesco tuo, TEque æquissimum habeo studiorum eorum, quæ mihi communia cum optimis sunt quibuscunque, existimatorem. Hunc sane librum, etiamsi minus nostra commendatione; Tuo tamen divulgari necesse est nomine: quod quidem æternum tenes per sæcula, usque adeo, ut, si sapientes incidere possent in invidentiam, patria profecto tua invidiam esset factura Marchiæ meæ, quasi indignæ, ut TE sinu foveat suo.

Dedit

Dedit enim illa huic talem JCtum, qui omnium Sæculorum facile princeps salutatur ab omnibus, & quo superiorem vel meliorem ignorat Marchia Brandenburgica. Mortui quidem, de quibus potissimum scribo, & non posse & nolle videntur ad TE comparari; attamen vel famam relinquere sui, vel partam poterunt conservare nunc demum eo gravius, quod TV, omnes qui supergressus es laudes, in Marchia docuisti, illosque tecum conjungi colenda in justitia voluisti docendaque. Et omnes ut judicare possint, quam fuerim veritatis diligens, ad propositum veniam, & Catalogum excellentium Virorum, quos provida natura nasci voluit in Marchia mea, nectere pergam. Sit igitur sermonis nostri ordiundi princeps, JOHANNES FRIDERICVS de RHETZ, Consiliarius Regis nostri intimus, multorumque in Remp. nostram meritorum; quippe cujus germana est patria *Brandenburgum*, urbs nomine celebris & dignitate. Nomino hunc officii caussa atque honoris a primo, tum quod vitam vivens neque adfecta jam ætate bene mereri de patria cessat, tum quod olim hac in Universitate Juris Prof. Publ. Ord. ad B. Generatorem meum summos in jure detulit honores publicè, eumdemque perpetuo & fovit, & quibuscunque potuit rebus, auxit. Quo & factum, ut, qua erga hunc virum inlustrem observantia fuerim, posteri legere possint; cum nihil sit præclarius, quam honoribus & Reip. muneribus perfunctum senem posse suo dicere jure id, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo: se esse eum, unde sibi si non populi & reges, aut omnes, sui tamen cives consilium expeterent. Non excurram in ejus laudes summas,

neque referam pluribus Scripta, quibus opem tulit ſtudioſæ juventuti; cum *Juris publici Inſtitutiones; in Jus feudale Commentatio; Volumina diſputationum Jur. Civ. II; Diſputationes Jur. publ.;* & *Meditationes ad Inſtitutiones*, quæ quidem divulgavit, teruntur ab omnibus ſolidæ ſtudioſis eruditionis. Eadem Urbs celeberrima, ex ſeſe peperit A. clɔ. Iɔ. LXV. A. D. XI. Kal. Nov. BENEDICTUM CARPZOVIUM Seniorem, JCtum non unum e multis, & gloriæ nunquam intermorituræ Stirpis venerandæ Carpzovianæ conditorem felicem, Comitis Reinſteinenſis primum Cancellarium; deinde Profeſſorem Juris Wittenbergenſem, demum Elect. Sax. Conſiliarium, nec non ſupremi Dicaſterii Dreſdenſis Adſeſſorem. Non intercedo Auctori libri, cui præfixus titulus; Auffgefangene Brieffe/ qui p. 255. ſcribit; die 3. Medaille hat auf einer Seite Herrn D. Carpzovii Bildnüß/ mit der Umſchrifft: Joh. Bened. Carpzov SS. Theol D. & P. P. & ad Div. Thom. Paſt Lipſ. Auff der andern Seite iſt ein Wapen/ da auff dem Helme Rohrkolben/ in dem Schilde ein Fiſch auf ſtillen Waſſer/ wie auch viel Rohrkolben/ oben drüber die Worte: Medius tranquillus in undis; womit zweiffelsfrey auff dieſes hochberühmten Mannes Großmüthigkeit und Beſtändigkeit gedeutet wird. Sonſt iſt mir geſagt worden/ ob ſolte dieſes berühmte Geſchlecht erſt aus Spanien entſprungen/ und in vorigen Seculo bey der Religions-Verfolgung von dar in dieſen Lande entwichen ſeyn/ auch den Nahmen Carpezano geführet haben. Verum enim vero cum Auctor hoc ex auditu tantum nunciat, nihil adfirmare poſſumus; potius, patriæ gratulamur noſtræ, quod talem Carpzovium

vium conceſſerit Saxoniæ prima, qualem antea non viderat; & Marchia felicitatis fuerit auctor Wittebergenſis. Quam eo magis in Stirpe Carpzoviorum veneror, quod, *cum neminem prope*, ut ait Spartianus in Vita Severi c. XX. *magnorum virorum optimum & utilem reliquiſſe filium, ſatis claret*, nec ullis aut gloria major aut auguſtior fuit honor, quam Carpzoviis; & nulla fere familia tam admirabili continuatione, tum de Rep. tum de Eccleſia noſtra præclare potuit mereri, quam Carpzoviorum. Noſtrum certe Benedictum Carpzovium, ceteros ut taceam, quàm honorificentiſime viri laudarint docti, docet nos exactæ vir diligentiæ Henningus Witten in *Memoriis Juris conſultorum noſtri Seculi clariſſimorum renovatis edit. Francof. 1676. in 8. p. 104. ſ.* ubi Vitam Summi hujus JCti dedit nobis. Longior vero hæc cum ſit, quam ut eam indere velimus in hanc noſtram Diſſertationem; memoria tamen hujus maximi Civis incitat me & amor patriæ, ut ex ſcriptis, quibus decorarunt Defunctum Wittenbergenſes, quæq. *p. 109. l. c.* habentur, adferam ſequentia:

Vir Magnificus Benedictus Carpzovius Beat. m. Juris utriusque Doctor; Seren. atque Potent. Electoris Saxoniæ Conſiliarius intimus.

Αναγραμματικῶς.

Inſigne Patriæ Decus: Virtutis Oculus: ſuperis carus: æqui Comes: Abiit! mortuus conditur Saxo! in cinere Quies: at nomen florebit.

Heſperus ut nitidas rutilanti lumine ſtellas
Vincit, & occultat lucis honore ſuæ;

Sic quoque Benedictus Carpzov cognomine, junctos
Marchia quos tellus subtus & intus alit,
Hic enim varia virtutum luce coruscus,
Numina fatidicæ sacra Themistos adit.
Inclyta quem Pallas solidis atque aurea Peitho
Consiliis docuit res animare Ducum:
Quem chartis, famæque dedit populisque loquendum
Ingenio & genio gloria parta suo.
Hic insigne Decus Patriæ: Virtutis amator
Atque oculus dextræ: Carus erat superis,
Æqui justitiæ gratusque Comesque fidelis;
Clarus amore domi; clarus honore foris,
Ah! abiit terris citò dira febre peremptus.
Mortuus effertur! conditur, heu, tumulo
Sub rigido Saxo in cinere & corpus requiescit:
Sub Patris æthersi numine vita latet.
Nomen at ipsius florebit, lausque manebit;
Non Pietas, Virtus, Fama perire sinunt!

BASILIUS THAM.

E re nostra esse existimo audire hic, quæ multifaria eruditione abundans JOH. MOLLERUS in Homonymoscopia p. 660. f. §. 26. monet his verbis: *Utrumque BENEDICTUM CARPZOVIUM, Seniorem sc. JCtum Wittebergensem famæ, quæ Scriptis acquiritur, posthumæ Contemptorem, A. 1624 & Juniorem, Antecessorem Acad. Lips. Primarium πολύγραφον, A. 1666. defunctum, P. I. c. 5. §. 9. fusius celebravimus. Junioris Scripta omnia, in Biographia ipsius (Dec. IV. p. 469.) omissa, Seniori (Dec. I. p. 111. 112.) ne uno quidem, quod vere illum Autorem agnoscat, adjecto, A. 1676. in Memoriis JCtorum attribuit Henn. Wittenius. Sed ipse errorem hunc suum*

A. 1688.

A. 1688. correxit, Tomo I. Diarii Biographici, Filio suo (ad A. 1666.) restituente, ac Patri (ad A. 1624. lit. U. 3. a.) Disputationes tantum quasdam relinquente. Illi ipsi Brandenburgo, Civitati multi nominis, injuriam omnino facerem, nisi & *GEORGII SABINI, Brandenburgensis*, J. U. D. & Eloqv. P. P. O. hac in Universitate clarius exsplendescentis recolerem memoriam. *E Philosophicæ*, scribit ex doctrina clarus & nobilis, nec non illustri laude conspicuus, Noster D. *JOH. CHRISTOPH. BECMANUS* in Memorandis Francofurtanis edit. prior. *Hic* 1676. in 4. p. m. 52. *Facultatis membris idem Thuanus Georgii Sabini, Melanchthonis Generi, honorifice meminit:* Anna, Melanchthonis filia, elocata est Georgio Sabino Brandenburgensi, Poetæ inter Germanos non exigui nominis, qui a P. Bembo, Caspare Contareno Cardinalibus, Baptista Egnatio, Ludovico Becatello Italis dum viveret, magno in pretio habitus, hoc eodem anno socerum secutus Francofordiæ ad Viadrum, ubi larem fixerat, decessit Kal. Decembr. ætatis suæ LIII. Histor. L. XXVI. ad A. MDLX. *Sed non Francofurti*, addit Exc. Becmanus, *verum Regiomonti in Borussia obiit, ad ornandam novam Academiam primumque Rectoratum gerendum ea vocatus. Larem tamen antea hic fixit, ædesque ejus hodienum Disticho memorabili ab illo notatæ supersunt.* Eodem ductus est errore Abrah. Bucholcerus in Indic. Chronolog. edit. Francof. 1634. in 8. p. 601. ad h. a. cujus repeto verba: *Georgius Sabinus, Poeta clarissimus, & Melanchthonis gener 1. Decemb. ætat. 53. mens. 7. d. 10. Francofurti ad Viadrum obiit.* Vindex elegantiarum romanarum *OLAUS BORRICHIUS* in *Dissertat. de Poetis, edit. Francof. 1683.*

in

in4. p. m.135. hæc pro teſtimonio dixit: *Georgio Sabino paucos Germanorum Poëtarum anteponas; usque adeo ſollicita illi & circumſpecta dictio eſt, nec tamen minus nativa apparet, minusve facilis. Non videas quidem eum ſono, aut translationibus ſublimem, non grandiloqvum, ſed notabis ubique fere limpidum eloquentiæ vinctæ flumen, lacteamque ubertatem ſine ſalebris, ſine affectatis cincinnis. Talem ſe præſtitit in VI. Elegiarum libris; talem plerumque in Epigrammatis, hendecaſyllabis, Cæſaribus Germanicis, epicisque epithalamiis.* Neque modeſtè veretur ipſe hoc de ſe ferre judicium in Epiſtola nuncupatoria ad Sigiſmundum, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, qua Poëmata ſua dedicavit huic, p. m 5.6. *Equidem,* inquit, *fateor me & amare & magnifacere Poëticam, & optare ut ejus pulcritudinem plures intelligerent: ſed excellentibus ſcriptoribus nequaquam me inſero, & propter ingenii imbecillitatem, & propterea quia in hac confuſione temporum non licuit mihi tribuere huic arti tantum ſtudii, quantum magnitudo rei poſcit: conſpici tamen in carminib. meis, & voluntatem honeſtam & mediocrem diligentiam exiſtimo: materias enim utiles ſumſi, & recte loqui ſtudeo.* Edita ſunt Poëmata Georgii Sabini ſæpius in 8. Lipſiæ 1538. 1558. 1578. 1597. 1632. (Obiter hic moneo in Libro Epiſtolarum Sabini hiſce Poëmat. adjecto reperiſſe me duas Epiſtolas Petri Bembi, quas omiſerunt in editione Bembi Epiſtolarum Argentorat. 1609. 8. quarum *alterius* initium: Gratulatio de Cardinalatu meo &c. *alterius*: Quod ſerius, quam tu fortaſſe exſpectabas &c.) & una cum Ejusdem Deſcriptione Electionis Caroli V. 1612. 4. & T. II. Script. German. Schardii p 1. complexa; Fabularum Ovidii Interpretatione Witt. 8. 1559. ceterisque laboribus magno

gno ubique in pretio fuere. Meum exemplum Wittebergæ prodiit 1563. in 8. edente Euſebio Menio, Generо Sabini, cujus Dedicationem, quod verboſior Sabinum laudat, & quam plurimis forte inviſa, hoc loco retrahere ab interitu, priſtinoque reſtituere volui nitori. Sic vero ſeſe habet:

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Sigismundo Archiepiſcopo Magdeburgenſi, Primati Germaniæ, Adminiſtratori Halberſtatenſi, Marchioni Brandenburgenſi, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Croſnæ in Sileſia Duci, Burggravio Noribergenſi ac Rugiæ Principi &c. Domino ſuo clementiſſimo

S. P. D.

Cum mihi ſignificatum eſſet ab Amicis Lipſicis, futurum ut ibi denuo exprimerentur Poëmata ac cætera ſcripta Clariſſimi viri & Poëtæ D. Georgii Sabini, & pleniora & emendatiora quam antea, petitumque, ut ad elaborationem hujus libri aliquid a me quoque conferrem: De cæteris quidem, quibus ornaretur opus iſtud non tulit res & tempus, ut quod precium operæ eſſet, a me præſtaretur, ad Celſitudinem vero tuam (reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Princeps) compellationem meam quoque ſubjectiſſ. ſtudio ut præponerem, & mihi eſt viſum & prudentiores ſuaſerunt. Etſi enim ipſe D. Sabinus hæc ingenii ſui monumenta ad talem modum uno libro collecta cum ederet, peculiari epiſtola & quaſi dedicatione ſua Illuſtriſſimæ celſitudini tuæ ea conſecravit, Ego tamen alteram hanc veluti nuncupationem ad eandem Celſ. T. hac potiſſimum de cauſſa ſuſcepi, ne ulla occaſio a me prætermitteretur celebrandi tuæ Celſ. & Illuſtriſſimorum gentilium hujus beneficia erga D. Sabinum & familiam ejus, & ut eidem, ſocero de me optime merito, a me officio aliquo quaſi parentaretur. Primum autem natus eſt D. Sabinus in ditionis Illuſtriſſ. Celſ Veſtræ oppido eo, quo dignitas ſemptemviratus Imperatori creando in inclita Marchionum familia fundatur, parentibus in ea Repub. honeſtis & primariis. Is poſtquam puer admodum ſingularis indo-

lis & ingenii ſpecimen præclarum edidiſſet, ab illuſtriſſimo Celſ. Veſtræ avo Joachimo primo Brandenburgenſi Electore, & hujus fratre Alberto Septemviro Moguntino, ac Magdeburgenſi Archiepiſcopo &c. benigniſſime habitus fuit, quorum munificentia non noſtris ſolum hominibus, ſed & Italiæ ac cæteris nationibus D. Sabini ingenium innoteſcere cœpit. Poſtea contracta affinitate cum Philippo Melanchthone, ſanctæ memoriæ, ab Alberto Moguntino Septemviro, Archiepiſcopo &c. inter hujus familiares in aulam aſſcitus, & ab eo propter prudentiam & facundiam inter primarios Conſiliarios cooptatus eſt. Inde paulo poſt de voluntate Illuſtriſſ. Principis D. Joachimi Marchionis Brandenburgenſis Electoris &c. in ſcholam Francofordianam vocatus eſt, quam nomine & operis ſuis aliquanto celebriorem reddidit. Accidit autem non multis annis poſt, ut Illuſtriſſ. Boruſſiæ Dux Albertus Senior, de conſtituenda in Regiomonte Boruſſiæ ſchola publica piam ac Principe bono dignam ſuſciperet deliberationem. Cumque in hoc ſancto propoſito ea potiſſimum cura optimum Principem exerceret, ut non ſolum eruditione ac ſapientia præſtantis, ſed & ingenii monumentis clari cujuſpiam viri copiam, quantiſcunque etiam ſumtibus, compararet, cujus ductu, conſilio & autoritate res ſcholaſtica conſtitueretur, gubernaretur atque conſervaretur: D. Sabinus in multis celeberrimis Germaniæ ſcholis unus inventus eſt, qui ad hanc rem idoneus videretur. Et ſuo igitur & aliorum judicio Illuſtriſſimus Princeps Albertus I. Boruſſiæ Dux ab Illuſtriſſimo Electore Brandenburgenſi obtinuit, ut poteſtas D. Sabino fieret, hoc ſanctum & ſalutare opus promovendi. Itaque D. Sabino adminiſtro & opera hujus inclita ſchola Regiomontana conſtituta eſt, ac frequentia diſcentium & eruditis monumentis publice ibi editis paulatim celebrari cœpit etiam apud exteros. Ea vero confirmata, jam D. Sabinus ad Illuſtriſſimum Electorem Brandenburgenſem Joachimum II. in Academiam patriam rediit, ut conſtitutum erat. Ac jam ætate gravis, rerumque uſu edoctus, non ſolum ſcholæ docendo ac conſulendo præfuit, ſed & ab Illuſtriſſimo Electore Brandenburgenſi &c. Celſ. Veſtræ patre & Illuſtriſſ. Celſitudine veſtra inter conſiliarios præcipuos aſſcitus eſt,

eſt, & tum domi ad deliberationes graviſſimas ac ſecretas adhibitus, tum foris in expediendis non parvis negociis apud exteros Reges ac Principes fidem, induſtriam, dexteritatemque ſuam Illuſtriſſimæ domui veſtræ probavit, & apud exteros laudem ſibi peperit, nomenque ſuum hac acceſſione admodum amplificavit. De his vero & cæteris virtutibus ejus Politicis in præſentia plura non addam, quarum vivi teſtes ſunt Magnifici & Ampliſſimi viri, virtute, ſapientia ac dignitate vere nobiles D Paulus Prætorius, & D. Thomas Matthias eorundem principum conſiliarii intimi & primarii, conſiliorum hujus, ſtudiorum & operarum omnium maxime conſcii. Præcipue vero ingenii ejus monumenta, quæ extant, univerſæ Germaniæ & vero inprimis patriæ ornamento, & apud exteros admirationi ſingulari ſunt & erunt, quam diu aliqua erit docta & erudita poſteritas. A multis nunc ſeculis celebratur memoria Orphei, Amphionis, Lini & ſimilium, quorum alios ſua Muſica feras demulſiſſe, alios ſaxa & arbores traxiſſe ferunt. Apparet autem veteres ſapientes non tantum ſingularem in his & quaſi prodigioſam ingenii vim & orationis fulmen prædicare voluiſſe, ſed potius oſtendere, excellentem ſapientiam, Heroicam ingeniorum vim, & eloquentiæ flumen, propria & miranda Dei opera eſſe generi humano maximarum in univerſa vita utilitatum cauſa conceſſa. Ac quantum apud homines ad perſvadendum et excitandos animi quoſuis motus valeat eloquentia manifeſtum eſt. Hæc vero omnia conſpectiora & admirabiliora ſunt, magiſque afficiunt, cum oratio ſonora numeris & legibus incluſa, quam poëticam vocant, proponitur. Hæc vero vis ingenii rara eſt, quam etſi arte excitari & excoli neceſſe eſt: tamen ſemina cœlitus trahit & admirandum Dei donum eſt in natura. Sicut autem modulationes Muſicæ non unius modi ſunt, ita hujus divinæ Muſicæ veteres græci quinque genera nominant. Unum Pæanicum quo comprehendiſſe videntur omnia quæ ad Religionem illorum temporum pertinuerunt. Alterum σωφρωνιστικὸν, hoc eſt, præceptorum & inſtructionis ad honeſtatem & decus. Tertium ἐγκωμιαστικὸν, quo laudes decantantur, & quaſi præconia fiunt virtutis & hac præſtantium hominum. Quartum

θρηνητικὸν, *quo in funerum tristitia & lamentis usi fuere. Quintum* ὀρχηματικὸν, *quo complectimur illa omnia quæ ad delectationem componuntur. In quibus omnibus quid præstiterit D. Sabinus, & quam prope absit ab exemplo veterum ii statuent, qui hæc monumenta versuum ipsius legerint. Nos hæc nostro quasi præconio proclamare minus fortassis deceat, & Græcus versus quærit τὶς πάλεϕ ἀέιηται? Ingenii certe vim divinam ad fandendam orationem numerosam, sonoram, dulcem auribus atque gratam mentibus eruditorum, natura ei attribuit, quam ipse a puero artium ac rerum cognitione multiplice, excoluit, auxit & ornavit, seque ad imitationem optimorum in omni genere autorum composuit. Idque duce natura & arte magistra consecutus est, ut ab ingenio & eruditione laudem inter nostræ ætatis doctos non postremam habeat. Hujus vero si aliqua ad seram usque posteritatem fama & prædicatio feretur, Tuæ Celsitudini, ejusdemque patri, avo & gentilibus aliis debebitur tota, quorum & munificentia D. Sabinus evectus est, & virtutes ac laudes vicissim hisce ingenii ejus monumentis præclare celebrantur. Verum Cels. T. hæc pro sua sapientia rectius intelligit, quam submisse oro, ut quemadmodum exemplo avi, patris & reliquorum gentilium suorum D. Sabinum vivum benignissime complexa est, propter ejus ingenium ac virtutes, cujus & fidem ac industriam in negociis arduis sæpe experta est: Ita & familiam ejus pari clementissimi receptus benignitate foveat. Fuit enim is pater multorum liberorum, magisque juvandis aliis quam suis sæpe usque commodis studuit. Quo factum est, ut immatura præventus morte prater noluit. Quo factum est, ut immatura præventus morte prater noluit quidquam sui famam sempiternam hæreditatis parum reliquerit suis. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ἐκέτην καὶ μεσίτην, ut Illustriss. Cels T. clementer gubernet ac protegat, corporisque & animæ viribus confirmet, augeatque ut quam longissime gubernationi salutari, & propagationi doctrinarum, publicæque tranquillitatis defensioni superstes sit. Bene ac feliciter valeat Illustriss. Cels. Tua. Vuitebergæ 3. Calend. Maji. 1563.*

Illustriss. Cels. Tuæ
humillimus deditus
Eusebius Menius.

Recito

Recito denuo Sturmii carmen lugubre, quod de mortis Sabini nostri anno lusit:

LVX heLIConIs obIt (MVsæ LVgete) SabInVs:
LVgeat eXCLVsa phœbVs & Ipse Lyra.

Conf. *Beemanum*, Doctorem nostrum, *in Notit. Dignit. illustr. p. 121.* Lotichium *in Biblioth. Poët. p. 50.* Delitiar. German. *T. 5. p. 920.* Angelum *in Annal. March. Brand. p. 358.* & Königium *in Bibl. Vet. & Nov. p. 712. b.*

Quod ad Theologos adtinet, memini me in priori Dissertatione p. 30. Joh. Æpini, Martini Chemnitii & Dan. Crameri promittere vitas. Quamobrem hac data ut me liberem fide, adfero in præsenti Joh. Æpini fata, prout ea historiæ cultor amœnissimæ, MELCH. ADAMI in Vitis Theologorum edit. Franc. 1705. in fol. p. m. 118. seq. descripsit; Martini Chemnitii vero & Dan. Crameri ex Eodem Adami & Henn. Witten alio communicabo cum L. B. tempore certas ob causas, quas jam tacere cogor. Regusto nunc igitur MELCH. ADAMI verba, rebus bene accommodata, sequentia: JOHANNEM ÆPINUM (alias qui Germanice Höck dicebatur, conf. Molleri Homonymolc. p. 825.) *nobile Germaniæ in litore Baltico emporiū Hamburga edidit, sub annum millesimum, quadringentesimum, nonagesimum nonum, atque ab iis, quibus ætas prima imbui debet, sic satis instructum,* Wittembergam *extrusit: ubi* Luthero *inprimis præceptore usus, ad Theologiam omni animi conatu incubuit, linguarum atque humaniorum literarum studio minime neglecto. Hæc enim* πρὸ ὁδῶ καὶ ἔργου *sunt, quodcunque doctrinæ genus capessas. Anno millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo, cum J. Bugenhagius Wit-*

 tem-

tembergâ evocatus, doctrinæ, rituum, & vocationis ministrorum Ecclesiæ Hamburgensis formam descripsisset, & scholam in cœnobio S. Joannis *constituisset:* Æpinus *Pastor ad* D. Petri, *ac biennio post, totius Ecclesiæ Hamburgensis Superintendens, ut appellamus, pridie Pentecostes est constitutus. Deinde anno* trigesimo *idem Æpinus, ut testimonium etiam ab exteris haberet, una cum* Caspar. Crucigero, &, *de quo modo diximus* Bugenhagio *primus ex Evangelicis sanctæ Theologiæ Doctor salutatus est; panegyrin Academicam ipso Electore illustrante. Anno quarto post cum Henricus VIII. Angliæ Rex, Papatu abdicato, conjunctionem & auxilia, ab urbibus maritimis, quæ Pontificis romani tyrannidem abjecerant, interq. eas ab Hamburgensibus quoque petiisset, miserunt isti in Angliam cum Senatoribus, etiam* Æpinum, *ita Rege petente. Domum reversus ecclesiam suæ fidei concreditam docuit, & cum à fatali illa Germaniæ clade,* liber Cæsarianus *in publicum exiisset, quo nova doctrinæ atque rituum forma sanciebatur: Æpinus & scriptum ipsum refutavit, & Lipsiensium atque Wittembergensium dissimulationem animique mollitiem apertè, συμμάχῳ Flacio Illyrico, notavit. Ad cœlestem triumphantis Ecclesiæ consvetudinem abiit Æpinus, anno Christi* millesimo, quingentesimo quinquagesimo tertio, decimo tertio *Maji; cum militasset in terris annos qvinquaginta quatuor, & ecclesiæ præfuisset annos circiter viginti- Fuit & hic vir ingenio, varia linguarum, artium & rerum Theologicarum scientia magnus, quamvis eruditio ejus, ipso vivente, latuit ferè, & demum innotuit sub interreligionis forma. Itaque cum Melanchthon vidisset, quæ Æpinus contra illam formulam scripserat, hujus pluris, quam suas solutiones feciisse perhibebatur, autore Chemnitio in locis communibus. Idem Melanch-*

lanchthon amicum epigrammate ejusmodi ornavit, ad effigiem Æpini apposito:

Hæc est Æpini doctoris imago Joannis,
Qui docuit castè dogmata pura Dei.
Saxonicoqve pios cœtus in littore rexit,
Fulsit & exemplis integra vita bonis.
Urbis ubi Hamburgæ stant ardua mœnia claræ,
Massiliæ veteris quæ decus omne tenet.
Et superat meliore bono: quod præbet honestum,
Et fidum hospitium, maxime Christe, tibi.
Inde etiam Æpinus, vigilans & pectore firmo
Errorum fucos depulit atque dolos,
Ergo Deo grates tanto pro munere dico:
Utqve regat semper pectora nostra peto.
Et faciat semper nos unum ut simus in ipso,
Æterni gnatus quod petit ipse patris.

Plurimis in religionis negotio libris scriptis optimè de Republ. Christiana meritus est, qvorum è censu sunt Commentarius in Psalmum quendam Davidis, *in qvo de Justificatione, de vita christiani hominis, de votis & juramentis, de consvetudine impiorum vitanda, de usuris, de contractibus, de reditibus, de corruptelis in judicio agitur, aliiqve nonnulli loci diligenter explicantur. Præterea* libellus de sacris concionibus *formandis, cum aliis ejusdem argumenti: Liber* de justificatione hominis, de operibus legis, de fidei justitia, & origine, de fidei discrimine & virtute: *De* notis & signis justificationis fidei & hominum justificatorum, de imbecillitate & peccatis sanctorum, de discrimine peccatorum: *De* præmiis fidei & bonorum operum: *cum confutationibus argumentorum, quæ ab adversariis adduci possunt. Ejusdem est* enarratio in Psalmum sexagesimum nonum

num, *in quæ hæc continentur:* Descriptio Messiæ & regni ejus, quibus armis mundus Christiano expugnandus & subjiciendus sit: quomodo colligenda catholica Christi Ecclesia, quod ejus regimen, & quæ ejus defensio ac propugnatio, quæ virtus & efficacia ministerii: *Brevis explicatio articuli*, De descensu Christi ad inferna: *Item* cur afflictionibus Ecclesia DEI exerceatur: congressus ecclesiasticos sedulò custodiendos & tuendos esse: Epitome historiæ de excidio Judaici regni: Prophetia de Judæorum *abjectione* & gentiũ *electione*. Hæc ADAMI. Non inutile statuo, si JOH. Molleri doctrinam, qua hunc Melch. Adami expolivit in Isagoge ad Historiam Ducatuum Slesvicensis & Holsatici. Francof. edit. 1691. in 8. p. m. 569 s. in manus tibi dem, & hanc quidem: *Superintendentis officium Senatus A. 1532. (non, qui Melch. Adami in Vitis Theol. Germ. p. 243. 244. est error 1522.) Prid. F. Pentec., demandavit JOH. ÆPINO, Lutheri Discipulo, in Marchia, teste J. Ritzenbergio, (in Epitaphio ejus, postea allegando. conf. Guilh. Crowæi Elenchum Interpp. Scripturæ p. 192.) non autem Hamburgi, uti ab eodem Adamo & aliis falso traditur, A. 1499. in lucem edito, Scholarum ante hac Gryphisw. atque Stralsundensis Rectori, (vid. J. Micrælii Synt. Hist. Eccl. P. 3. p. m. 347. Dan. Crameri Chronicon Pomeraniæ Eccles. L. 2. c. 13. & J. P. Resenii Lutherum triumphantem, lit. K. 3. a.) ac inde A. 1529. (quo Flensburgensi etiam cum Melch. Hofmanno colloquio interfuit) ad Pastoratum Civitatis suæ Petrinum evocato. Is nova hac auctus dignitate, doctoris titulum in Acad. Witeb. petiit, & d. 16. Jun. A. 1533. (in cujus locum alii, Melch. Adamus, Micrælius & Crowæus locis citatis, A. 1530. male substituunt,) cum Joh Bugenhagio & Casp. Crucigero, Professoribus ejusdem Theologis, à Decano Justo Jona, præsentibus, præter Joh. Frid. Elect. Saxoniæ; (cujus sumptu Promotio instituebatur) 4. Principibus aliis impetravit. (vid. Gotfr. Svevi Acad. Witeb.*

Witeb. lit. I. 4. b. K. 1. a. Ddd. 3. b. Eee. 4. b. & Sennerti Lib. I. Athen. Witeb. p. 879.) A. 1534. Henrici VIII. Angliæ Regis, postulatu, cum Legatis Hamburgensium, Alb. Westedio, Consule, & Henr. Hesterbergio, Senatore, illuc profectus, suum de Controvv. istius temporis, & Papismi abolendi ratione, judicium ei exposuit, divortium autem probare noluit, tandemque donis cumulatus amplissimis, Hamburgum remigravit. (vid. J. Ritzenb. Epitaph. Æpini, Tratsig. Chron. Hamb. ad A. 1534. Chytræi Chron. Sax. c. 11. p. 241. Melch. Ad. l. c. p. 244. Joach. Vagetii Præcidan. de Orbe habitabili p. 261.) A. 1548. librum interim scripto, de quo plura alibi (P. IV. c. 5. §. 5.) diximus, egregio confutavit, & hujus ope in Germania universa inclaruit. A. 1549. Gravissima cum collegis suis, de Descensu Christi ad inferos, implicitus est controversiæ, cujus Historiam §. 7. proponemus. A. 1550. Lubecam, ad componendas Presbyterii de Justificatione lites, & non multo post Hafniam, ut Pontificiorum in Aula Danica Machinationibus resisteret, excurrit (Vid. Ritzenb. l. c.). Finem vivendi fecit d. 13. Maji, A. Sal. 1553. æt. 54. Defunctum celebrarunt JOH. RITZENBERG, Secret. Hamb. in Epitaphio Elegiaco prolixo, Rostochii A. 1555. (vid. de illo cap. VIII. §. 3.) excuso, & JOACH. MAGDEBURG, Diac. Petrinus, in der Grabschrifft *Joh. Æpini, scripto Rythmico, Hamburgi A. 1553. (in 4to.) impresso. Elogia, quibus â Melanchthone, Chemnitio, Chytræo, Tarnovio & Schlüsselburgio est ornatus, Capite V. (§. 5.) jam recitavimus. Adde his Matth. Flacium (in narrat. Certam. suorum. ap. Schlüsselb. l. 13. catal. Hærett. p. 818.) qui Virum Doctiss., Graviss., Laudatiss., & fide dignissimum, Luc. Osiandrum (in Epit. Hist. Eccl cent. 16 p. 630. ubi falso tradit, eum A. 1554. obiisse.) qui Theologum Excellentem, & Mich. Neandrum, (in Descr. Orbis Terr. p. 139.) qui Theologum insignem atque exercitatum, appellare eum non dubitarunt.*

Succedat huic summo Theologo incomparabilis Polyhistor, CASPAR. BARTHIUS. De quo hæc quidem, quæ sequuntur, conscribere placuit nobis.

CASPAR. BARTHIUS, nobili genere natus Bavarico, patriam X. Kal. Quinctil. clɔ Iɔ LXXXVII, habuit Cüſtrinum, caſtrum in Marchia nova munitiſſimum. Patre uſus eſt Carolo Barthio, JCto celebri; qui quidem initio Conſiliarius aulicus, poſtea Cancellarius conſiliis El. noſtrum Brand. Johannem Georgium adjuvit ſtrenue. Hic, prout ipſe amabat litteras, earumque in primis erat ſtudioſus, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Poſtea vero quam A. clɔ Iɔ xcvii, mature Pater deceſſit, indulgentiſſima mater, cui nomen erat Mariæ Hakelbuſchiriæ, omni cogitatione atque cura in id incubuit, ut puer Barthius, in quo ſumma docilitas ingenii, quique omnia celeriter accipiebat, quæ tradebantur; honeſtiſſimis eruditetur egregie artibus. Itaque filium perdilectum miſit Eiſenacum ad Cel. Valentinum Weinrichium: a quo & omnem ad humanitatem eſt informatus, ſtudiisque imbutus optimis, quod ad omnem diſciplinam ſe præbebat docilem Barthius. Aliquamdiu Eiſenaci moratus tandem Gotham ſe contulit, quo ſtudiis obſequeretur, & Cl. Andream Wilkium audiret docentem publicè. Hic ita vixit, ut præceptoribus merito eſſet cariſſimus, & nobilis inter æquales ferretur, clariusque exſplendeſceret, quam condiſcipuli animo æquo ferre poſſent. Quo in numero erat præ ceteris Thomas Reineſius, qui continenter cum eo de principatu contendit: quare inter eos non ſolum maximarum æmulatio rerum, ſed obtrectatio quoque poſtea interceſſit publica. Memini me apud Thomam Crenium, quem auctorem maxime probamus, legere *in Præfat. Vol. II. The-*

Theſauri Libror. Philolog. & Hiſtor. edit. Lugdun. Bat. clɔ Iɔccl. in 8. p. 45. hæc: *Pro ſtudioſis omnibus elegantiorum litterarum utili labore ſuo & incredibili induſtria nemo minus commodi & miſeriores contumelias inanioreſque reprehenſiones ſenſit Caſparô Barthiô. Hic enim, quamvis omni de antiquitate, quod vel invidia fateri cogitur, & eruditione humaniore ac facientibus ad eam omnis ævi Scriptoribus, ſacris, profanis, Latinis, Græcisque, ſingulari ingeniô, judiciô, ſtudiôque admirandô & fere abſque exemplo immortaliter meritus ſit: tamen non effugit vel popularis ſui, πολυμαθεςάτε Thomæ Reineſii invidiam, maximi, ut Borremanſius in c. IV. Variar. Lectionum libri p. m. 25. laudat, inter Germanos viri judicii, ſed ingenii aſperioris.* Τὸν πόγωνα (*i. e. Barthium*) *ſcribit Reineſius Epiſt. XII. ad Hofmannum, p. 29. noli pavere. Æque homo eſt ac ego. Ego etiam tango illum ſtrictim in Poſt Curis meis, quas nunc molior.* Idem P. XII. Animadv. p. 10. ſcribit: *Hanc Barthii ſententiam contradicendi animo obſequutus Reineſius impugnaverat, Daumius defenderat; vide Reineſ. III. Var. Lect. c. XVII. p. 642. & Epiſt. VI. ad Daum. p. m. 15. & ex adverſo Daumiũ, Epiſt. IV. & IX. ad Reineſ. p. 14. & 26.* Et Part. XIIII. Anim. p 38. *Errat Thomas Reineſius lib. III. Var. lect. c. XVII. extr. p. m. 655. cum pro more nonnulla in Barthium eſſet invectus, ſcribens: paratus ſum non pudorem modo adire, ſi temere convulſiſſe, quæ poſuerat iſte deprehenſus planè, ſed & culpæ ſatisfacere, ſi incivilius tetigiſſe convictus legitime fuero. Impedivit Reineſii animum ira, ne cogitaret, præteritum verbi Convello non eſſe convulſi, ſed convelli, ſupinum autem convulſum.* Sed revertor ad propoſitum. Admirabantur, nempe præceptores in Barthio ſummum ingenium

memoriamque divinam; quippe puer annorum novem Terentii Comœdias firmiter tenebat omnes memoria, & decem natus annos Pſalmos Davidis contulit in carmen; idque breviori tempore, quam quidem frater natu grandior Inſtitutiones juris memoriæ poterat mandare: eodemque præterea anno varia & omni elegantia numero fecit poëmata, quæ deinde in apertum ſunt prolata. Hic peradoleſcentulus fundamenta poſtquam hoc in Gymnaſio Gothæ celebri jecerat litterarum elegantiorum, ad Univerſitates adiit florentiſſimas Jenenſem, Lipſienſem, Wittebergenſem, ubi B. Petri Vehr, præpoſiti poſtea Berolinenſis & Conſiſtoriani integritatis ſinceræ Theologi, & Affinis mei dulciſſimi Irenæi Vehr Med. D. & P. P. O. hic patris fuit contubernalis; Juliam, Marpurgenſem, Heidelbergenſem, Argentoratenſem, Colonienſem & denique Baſileenſem. Quibus in locis nihil egit, quod ab exſpectatione, quam concitarat ſui eſſet remotum; quin potius elegantioribus vacans ſtudiis, & in jus & philologiam conferens operam feliciter id ſemper ei fuit curæ, ut Profeſſores primæ celebritatis eum menſæ, converſationis, & bibliothecarum participarent. Eodem uſus eſt inſtituto in ſuſceptis itineribus in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam nec non Belgium, & diem ſermonibus cum eruditis conlatis fefellit, Bibliothecas penè elegit, antiquitates eruit, omniaque fecit, quæ a juvene eruditionis ſtudioſiſſimo exſpectari poterant. Et peregrinationis Barthii dum mentionem injeci, redit in memoriam, quæ in *Colomeſii Opuſculis, edit. Ultraj. 1669. in 12. p. 102.* legi ſequentia: *M. Voſſius entre les autres me contoit un jour, que Barthius eſtant*

eſtant venu d' Allemagne a Harlem, pour voir Scriverius, il amena avec luy une Dame parfaitement belle; & que Scriverius ne l' eut pas plutoſt veüe, qu'il trouva moyen de faire enyvrer Barthius afin d' entretenir cette Dame avec plus de liberté, ce qui luy reüſſit fort heureuſement. Il ne pût pourtant ſi bien faire que Barthius revenant de ſon yvreſſe, n' eut quelque Soupcon de ce qui s' eſtoit paſſé, qui s' augmenta tellement, qu'il r' emmena ſa Dame, fort en colere, & la laiſſa noyer ſur le Rhin. Barthius vero redux in patriam, arduum confeſtim cepit conſilium non inter ſtrepitus publicos, ſed ſepare cœtu bene de publico merendi. Ibit omnino in ſæcula & hoc exemplum æterna dignum memoria, quod perpauci fuerint viri docti, moris imitatores hujus. Nam præter Melch. Goldaſtum, Hel. Putſchium, Frid. Sylburgium, Gothofred. Jungermannum, Caſp. Scioppium, Petrum Axenium, Caſp. Dornavium & forte alios, neſcio utrum inveniendi plures, qui ampliſſimis honoribus non abundantes nihilominus privatim ſine minervali adjuvare publicum fortius maluerint, quam alii ſtipendiis locupletati opulentioribus & titulis circumfluentes honorum. Initio autem Barthius noſter in prædio ſuo litteris ſe involvit, ſuoque nomini magnam libavit laudem. Aug. Buchnerus, reſtitutor litterarum humaniorum, *in Epiſtol. p. m. 8. Ep. 3. ad Opitium* hæc de eo tradidit memoriæ: *De Barthio gratulor, quod ad amicitiæ cultum redierit. Profecto eſt mirabile caput, & quem offendas, cum te placere maxime autumes. Ego tamen hominem amo, colo, veneror, ſi quem alium, ob divinum ingenium & incomparabilem eruditionem, quæ Sæculum noſtrum præcipue illuſtrat.* Idem pag. 9. l. c. hæc ſcribit: *Pro Hein-*

ſii Oratione & Catonis diſtichis, quæ cum ſumma voluptate, ut tua omnia legi, ago gratias. Horum exemplum alterum ſuperiore ſeptimana cum literis ad dominum Barthium miſi. Quæris quidnam reſponſi abſtulerim? accipe & compone frontem: Daß Juncker Caſpar Barthen *(ipſe propria manu ſcripſerat)* ein Schreiben von *&c.* überbracht/ iſt dem Bothen dieſes zum Zeugniß ertheilet. *Sign.* Sellershauſen *&c. Quæ eadem verba proxima hyeme mihi reddita ſunt, qvum ad ipſum literas dediſſem. Quæſo Te, mone frater, quid videatur? nam ego judicium ſuſtineo, & illud ſenatorium uſurpo N. L. Interim non diffiteor, me & amare ſummopere hominem & admirari.* Poſtea ruris affectus tædio Lipſiam commigravit, ubi in Collegio ſic dicto, Paulino XXX. habitavit annos, dies noctesque libris inhians, ac cum nemine fere niſi cum doctiſſimis quibuſdam colens amicitiam. Hac domo contentus Barthius incomparabilis tandem magno natu, in eadem A. D. XV. Kal Octobr. clɔ Iɔc LVIII. animam efflavit pie placideque; cum compleviſſet Annum ætatis LXXI, & orbem liberis IIII. ex Margaretha Catharina de Schladen ſuſceptis, Libris vero quam plurimis auxiſſet vel potius exornaſſet: Quorum librorum Catalogum vide apud *Hennin. Witten in Diarii Biograph. T. I. ad An. LVIII. & Theoph. Spizelium in Templo Honor. reſerato. p. m. 380. ſ.*

Memorabile eſt ac pertinet omnino huc, quod Cl *JOH. ANDR. BOSIUS Introduct. in Notit. Script. Eccleſ. c. IV. p. m. 456. ſ. edit. Lugd. Batav. in 4. 1699 conlegente THOMA CRENIO, in Tom. III. Method. Stud. cui titulus: De Eruditione comparanda.* de Adverſariis Barthii his verbis tradit: *In quo genere, quod præſens inſtitutum attinet, non dubito primas tribuere Caſp. Barthio in*

in incomparabili Adverſariorum opere: cujus utinam & reliquos CXX. libros, multo meliores prioribus, quos apud ipſum nitide exaratos planeque prælo paratos vidiſſe memini, tandem aliquando publicæ luci darent, qui poſſunt. Gothofred. Jungermannus in Epiſtol. CCLVI. inſerta Claror. Viror. Epiſtolis ad Melchiorem Goldaſtum ſcriptis & e Bibliotheca Henr. Günteri Thülemarii JCti editis Francof. clɔ Iɔc LXXXVIII. in 4to p. m. 305. Hæc ſcribit: *Barthiana Ablegmina hic cudet nemo, nec ego noſtrum urgeam, quem Particulones juniores ab imprimendo vel vi abſtinere tandem volunt, ajuntque ipſi nimirum ſapientiores longè, quod multa excudat (Wechelius ſcil.) quæ non diſtrahantur.* Item Epiſt. CCLXIII. p. 317. *Barthii ablegmina, ut noſti, volebam apud te relinquere Francofurti, ſed recipere nolebas: Si verbo mihi indicatum fuiſſet, ibi excudi potuiſſe, miſiſſem ſtatim lubens: nam hic nulla ſpes: & ſunt ſaltem duo libelli, qui vix impleant chartas 4.* Ablegmina tamen hæc hinc inde jactata & tandem protuſa in publicum habeo in Caſp. Barthii Opuſculis variis; cujus Titulus libri hic eſt: Caſp. Barthii Opuſcula varia. Nunc primum edita. Ablegminum Libri II. Leandridos Libri III. Heroum infelicium lib. I. Zodiaci vitæ lib. III. Satyrarum. Lib. I. Cebetis Thebani tabula. Hanoviæ typis Willerianis clɔ Iɔc XII. in 8. Et cum liber hic non temere ſit promercalis, non vereor integrum Epilogum, qui p. 237. legitur, noſque nec pauca nec contemnenda docet, hic repetere:

Amico Lectori

Cum congeries hæc variorum opuſculorum finem habitura videretur propediem, ex Typographeo ad me ſcripſit doctiſſimus noſter Swartius, ſi quid haberem, quod in fine monendum putarem,

rem, expedirem. Lubuit itaque tecum fabulari, amice lector, de his ipsis Opusculis, ne putares in illorum editione nos magnum aliquid censuisse factum. Ablegminum quidem libros ipsos quatuor annos Gothofredus Jungermannus cum edendos voluisset, detinuit, ratus ex consponsione plures me adjecturum. Eo eruditissimo viro vivis exemto successit in partem Cura Eustath. Swartius; is vero aliter mecum agendum ratus, omnes meas cogitationes suâ persvasione prævertit. Non enim contentus, quos jam habebat, duos illos libellos luci dare, cum pro intima inter nos familiaritate, fortè scrinia nostra perambularet, poëtica illa Opera constipavit, & in unum volumen compegit. Nec ego adversatus ultra fui, utcunque meis durus, cum omne editionis periculum ultrò ingenio & doctrinâ pollens juvenis in se recepisset. Habes historiam. De ipsis libellis aliquid dicendum porro erit, ne quos lucem videre passus sum, eos videar prorsus abjectos voluisse, & si qua fortassis adhuc latet apud bonos eorum æstimatio, prorsus conculcasse. Ablegminum itaque ii libri, quos hic vides, ex integris XX. primi sunt fratres; quibus omnibus, more adolescentum, has litteras aggredientium, omne genus Scriptorum pervagatus sum. Nec vereor dicere post tantum spacium temporis (anni enim sunt VII, quos vixerunt) nondum adhuc eorum me pœnitere. Multa enim, si non omnia, in iis sunt, quæ auctoreis seriò juvare possint. Cateros Scriptoreis nominare nolim: in istorum priore quis negabit Optatum Afrum tot mendis expurgatum esse, quod proponendis alii Commentariorum bene magnum in eum scriptorem concinassent? Nolim tamen omnia nunc probare. Adolescentiæ calor interea multum remisit, dum hi libelli fratreis suos in amici manu exspectant; illiberalius longè facturus sim, si uno contemtu simul omnes seponam. Juvare hæc, etiam tam pauca, plures fortasse potuerunt, quam qui fateri velint. De aliis conjecturis nihil dicam, nec tamen non & in his sunt, quibus se oblectare potuerunt adolescentes. Quos in horum proœmio rogatos velim, ita duobus ignoscant, ut ne animum ad reliquos XVIII. edendos dispondere necesse habeamus. Leandrida eo tempore composuimus, quo primum fores Musarum

rum pulsare nisi sumus. Id opus nemo legat nisi ætatem simul scriptoris cogitet. Dulcia sunt melius judicium accessu annorum nactis, principia profectus, in quibus indoles non Doctrina, Conatus, non Potentia, omnem paginam absolvit. Itaque ludibundis passibus Heliconis prima juga scandenteis ætatis anno XV. hoc gracile, tenerum, lasciviusculum etiam donarium, Musis propitiis vovimus; Stili faciem de industria pressimus, ne vel suspicio ulla tumoris compositionem delicati vultus corrumperet. In hoc maximè eos Poëtas imitati, qui non auribus implendis, sed animis adficiendis carmen componunt. Crevit post cum ætate audacia. Anno enim subsequente Heroum Obitus tentavimus, stilum altius adfectanteis, ut indoles excitaretur & pedem fortiter ponere addisceret. In eo libro nonnunquam sententias Rhetorum priscorum adamavimus. Quæ etsi grande aliquod & unius fili Poëma, si nimia sint, non deceant, in his tamen concisis & variantibus capitibus habitare non injuriâ poterunt vel frequentiores. Hunc libellum, ut & Leandrida ipsam, non interpolavimus nunc; sed cum suis sibi nævis protrusimus. Emendatio enim puerilium Opusculorum deletio est. Ultimum carmen imperfectum est, & inter ambulandum, cum cætera ad Editionem constiparentur, natum. Satirarum liber eodem cum Heroibus anno natus est. Multa in eo abstrusa, quæ vix ipse jam satis adsequar, adeo nonnunquam nihil non tentantibus, etiam obscuritas quæritur. Prima Satira contra Poëticem quempiam eo tempore per Germaniam laureis distribuendis bachantem, velitata est. Laudabili proposito Adolescentulum annorum XVI. ulterò immatura præmia & nulli non vel indigno parabilia, refutare & contemnere. Cætera suum quaque auctorem habent, differenteis aliquid de studiis aut animi nobilitate cum exemplis. Stilum hujus Opusculi varium ipse dico, & rerum frequentem densitatem in aliis æmulari non velim; nisi quod Lectorem illa tamen dormitare non sinat, quovis ferè verbo novum quid perpendendum ingerens. Cebetis tabulam duobus ante cætera jam nominata annis composui latinam, cum Græci exemplaris nisi unius, & solum Graci, copia non esset. Nec erat illud non mendosum. Ego ve-

ro nunc

ro hunc libellum recenſere nolui, quem vix memini meum eſſe. Annus enim jam nonus volvitur ex quo natus eſt. Zodiaci Vitæ humanæ liber tertius ſpeciminis de reliquis gratiâ editus eſt. Adfecti ſunt octo. Quatuor à diſpoſitione ad carminum curam feſtinant. Et ii omnes, ut nunc ſunt, quatuor jam annos vitæ ſuæ numerant, ſed eos inemendatos prodire non patiar. Singuli ſuum argumentum à vituperio Vitii, aut laude Virtutis habent: ſumma in Æternitatis memoriam, vitaque Sanctæ ſequelam, confidente. Æſopiæ fabulæ cum anno XVII. ætatis compoſitæ eſſent, ex eo tempore deſcriptæ manu, multis in deliciis fuerunt. Subrepſerunt ita Famæ; nec tam honeſta molitio, etiam ſi clandeſtina, fraudi illis, quo minus ederentur jam eſſe debuit. Qui Farnum legerit, ſortaſſis has non deſiderabit. Sed neque fabula poſt Danomum illud Poëtæ meliores inter recentes ſcriptores inveniet. Præcipuè ias, quæ mero Jambo aut Scazonte ingruunt. Quod poſterius carminis genus primi nos excolaimus. Sunt enim in armario XV. libri Epidorpidum de Sapientiâ eo conſcripti. Quorum octo cum expoliti eſſent ex Belgio olim Hanoviam miſſi, in itinere oppetierunt, ut labor ſit eos ex lituratiis codicillis reſtituere. Si tamen aliquod pretium operæ me facturum putavero, integros denuò componam. Reſtat Theognis Latinus, primum inter hæc Opuſcula cenſendum merito ſuo. Non enim pudet me dicere, conſcium diligentiæ, Græcum Poëtam latinâ interpretatione in paucis meliorem eſſe. Latinam vero Phraſin ipſo non in paucioribus. Sed judicium penes tuum ſit candorem, Amice Lector. Qui ſi volente fronte noſtris conatibus faviturus, NUDAM tibi mox VENEREM, Amorem OCULATUM, de Anacreontis deliciis oſtendemus. Quibus tu viſis Deos omneis rogabis, ut totum te faciant Ocellum, quo Charitum Latinarum tenerrimis ſpectaculis ſupereſſe poſſis. Atque ecce tibi AMABILIUM quadrigam, quæ, quamvis non eſt indicio ſatis attento climata, ſpecimen tamen eſſe poterit LATINA Anacreontis, elegantiis comtiſſimi, qui Gr. in earundem Magiſtri deliciis concedere nolit. Vale, & jocis ignoſce.

KL. Julias. cIↃ IↃc XII.
Heidelbergæ.

Olaus Borrichius in de Poëtis p. m. 125. *Caſpar. Barthius*, inquit, *de omni eruditione humaniori bene meritus & præſertim de Claudiano, cenſere aliorum poëmata maluit, quam multa ipſe ſcribere: quoties tamen iſthuc eum rapuit impetus, ſatis docuit nihil ſibi in arte univerſæ invium eſſe. Monent id fabulæ ejus Æſopiæ, Phœnix, Satyra, Alcæus, elegiæ, jambi, lyria.* Adjiciam Joh. Molleri, optimi fere inter Polyhiſtores Germaniæ, ex Homonymoſcopia Hiſtorico-Philologico-Critica Hamb. 1697. in 8 edit. p. m. 907 ſ. verba: *Longe majori haud dubie luce argumentum hoc, imprimis autem Homonymorum Antiquiorum Hiſtoriam, perfudiſſet, ſi lucem vidiſſet publicam, CASP. BARTHII, Equ. Marchici, in veterum monumentis verſatiſſimi, de Scriptoribus dubiis (ethicis pariter atque Eccleſiaſticis) Commentarius, ad umbilicum jam deductus, & in Adverſariorum opere ſæpius allegatus. Verum diſparuit ille, una cum MStis aliis, ſtatim ab exceſſu Autoris ſui, A. 1658. rebus humanis erepti, uti Chriſt. Daumius, Amicorum ipſius princeps, in præf. Animadverſionum ejus in Statium, teſtatur, &, ex iſta, Val. Henr. Voglerus (in Introd. ad Notit. Bon. Script. c. 5. p. 25.) Theoph. Spizelius (in Templo Honoris reſerato p. 387.) Vinc. Placcius (in præf. Tr. de Scr. Anon. ac Pſeudon.) & W. E. Tenzelius (in Dial. Menſtr Vernac M. Jul. A. 1692. p. 611.) non ſine indignatione referunt.* Ipſe Barthius, Tom I. Animadverſ. ad Statii Silvar. præfation. extr. p. m 9. edit. Cygn. MDCLXIV. in 4to, *Flammæ*, inquit, *non ab hoſte, ſed domeſticò penè ſcelere meæ tum manſioni injectæ, non hoc ſolum mihi damni confecerunt, ſed ingens ſcrinium, manu mea ſcriptis chartis effertum, ſimul abſtulerunt. Et ſic perierunt mihi multa juvenilia & puerilia ſcripta, ut INDEX APPULEJANUS, mirifice auctus.*

Ex vero jam penè ſenilibus, quicquid operæ in Tertullianum contuleram. TH. CRENIUS, quo nomine Svaviſſimo mirificè delectamur, in Diſſertat I. de Libris Scriptorum Optimis & Utiliſſimis edit. Lugd Bat. clɔ Iɔcc IIII. in 8. p m. 5. ſcribit: *Vellem, Barthius continuaſſet ſuos iſtos in Auguſtini libros commentarios, quorum nobis in ultimo adverſariorum ſuorum non pœnitendum dedit ſpecimen.* Conf Prot noſtri P. O. celeberrimi TOBIÆ MAGIRI, *Angermünda Marchici*, Eponymologium Criticum, p. m 107. edit Francof & Lipſ. 1687. in 4. ubi varias Barthii conlegit laudes ex diverſis auctoribus. Sed ſatis de hoc. Cognoſcamus ceteros. MATTHÆUS HOSTUS, inter celebriores noſtræ Univerſitatis celeberrimus, ac Græcæ Linguæ P. P O. in Icone ſuo Berolinenſis, à D. vero noſtro J. C. Becmano & *G. M. Könige*, quem nullus unquam labor gravavit glorioſus, *in Bibliotheca veteri & nova edit. Altdorfii in fol. 1678. p. m. 414.* Wilhelmsdorfenſis dictus, natus eſt clɔ Iɔ LXXXVII. Idem Ampliſſimus & omnium ſermone celebratus noſter BECMANUS in *Memorand. Francof. c. 3. p. 39. a. edit. noviſſ. h. a. in fol.* veriſſime de Eo judicat, ſcribens: *quod contingit A. MD LXXII. auſpicante & reditus addente Divo Principe Elector Joh. Georgio, rectore & curam hanc inprimis gerente Matthæo Hoſto, Viro ab Hiſtoriarum uſu celeberrimo, quemque hodienum ſcripta ſua apud exteros dignisſime commendant.* Juvat Vir excellenti animo & virtute, ADAM. RECHENBERGIUS, Præceptor olim noſter venerandus, in præfatione Hiſtoriæ rei nummariæ veteris, edit ut titulus mentitur, Amſtelod clɔ Iɔc XCII in 4to præmiſſa: *Aſt ante hos Budæi inprimis exemplo excitatus Matthæus Hoſtus, in Aca-*

cademia Francofurtenſi ad Viadrum quondam hiſtoriarum Profeſſor clariſſimus, operam ad eandem hiſtoriæ partem illuſtrandam contulit utiliſſimam. Nam quæ a laudatis primum autoribus vel breviter, aut quaſi per ſaturam ſcripta fuerant, ille aut ſupplevit, aut copioſius expoſuit, aut meliore ordine digeſſit. Idem paullo inferius: *Sane Matthæus Hoſtus, qui poſt Budæum, primum hic locum jure ſuo obtinet, hiſtoriam rei numariæ tanta induſtria ac perſpicuitate elaboravit, quanta ante ipſum nemo, quod ſciam, fecerat. Quicquid enim in ſacris, quicquid in Græcis & Romanis Scriptoribus de numis, menſuris & ponderibus notatu dignum occurrit, id omne diligenter evolvit atque dilucidavit: ut valorem eorum, numis in nobiliore parte Europæ uſitatis æſtimare, non adeo videatur difficile.* Operæ me facturum eſſe pretium puto, ſi L. B. quæ de ſe ipſe Hostus noſter præfatur in Dedicatione Tom. II. Oper. præfixa, aperiam hæc: *Duabus autem,* ſcribit, *præcipue de cauſis tantos labores amore ſtudiorum elegantiorum ſponte ſuſcepi, primum ut & Marchiæ patriæ dulciſſ. & almæ Academiæ matri chariſſ. Θρεπτήρια, hoc eſt, nutritia & præmia educationis & inſtitutionis grato animo reponerem. Nam in illa quidem natus & educatus ſum: in hac vero liberaliter inſtitutus & eruditus, utriuſque alumnus & civis. Veni in hanc Academiam adoleſcens, anno viceſimo ſeptimo, ſtudiorum ſumptus aliquot annos, quantum ſatis erat, liberaliter ſuppeditante viro opt Benedict. Lintholto Conſule Strauſbergenſi, de quo alias plura. In hac ſchola inſtitutus ſum ſub magno duce & præceptore clariſſ. Viro D. Jodoco Willichio Boruſſo Reſelliano: poſtea compatre, affini & amico ſingulari, Medicinæ Doctore doctiſſ. a cujus latere nunquam diſceſſi, cujuſque caſtra, dum vixit, annos viginti quinque perpetuo ſectatus ſum. Is eſt,*

 qui

qvi propemodum primus & præcipuus in hac ſchola bonas literas excitavit, & elegantiores Muſas velut ab exilio domum revocavit. Nam ſuis auditoribus, quos ſemper frequentes habuit, optimos qvoſqve autores veteres tam ſacros, qvam profanos in utraqve & latina & græca lingva & publice & privatim aſſidue fideliterqve enarravit: unde elegantior literatura ſenſim auditoribus inſtillatur, & imbibitur, coaleſcit & longius propagatur: fœda vero barbaries, bonarum literarum peſtis exitioſa, profligatur, ejicitur, & procul a Muſarum caſtris fugatur. Jodoci Willichii ducis optimi veſtigiis inſiſtens & ego, ut boni qvoqve civis officio fungerer, cum mihi munus publice docendi in hac ſchola commendatum eſſet, optimos quoſque autores veteres in utraque lingua meis auditoribus & ipſe tam privatim, quam publice propoſui & bona fide enarravi: ut & ipſe una cum aliis quibuſdam meis collegis aliqvid opis ad alendam & conſervandam elegantiorem literaturam pro virili conferrem. Docui itaqve in hac noſtra Univerſitate ultra annos quinquaginta ab anno trigeſimo quinto. Et hac ratione in hac rep. literaria bonum quoqve civem me ſatis abunde declarare volui: quod pietas ipſa quoque ſvadebat. Idem l. c. in fine. *In certam autem ſpem venio, vos hoſce meos labores æquis animis æſtimaturos: ut, quos honeſtiſſ. de cauſis exhauſi, veſtra liberalitate compenſentur, & chalcotypiæ ſumptus, quos feci, mihi veterano, qui ultra quinquaginta annos in veſtra Academia & Marchia Brandenburgica docendo fideliter laboravi, benigne reddantur.*

Ad finem properans obliviſci Scriptoris rerum Marchicarum adnoti M. ANDREÆ ANGELI minimæ potui: quem *Mollerus in Iſagoge p. 217.* Hiſtoricorum patriæ ſuæ primicerium merito vocat. *Strauſbergæ*

bergæ in Media Marchia Brandenburgenſi natus eſt anno M. DC. M. Andreas Angelus, ſive Engel, diligentiſſimus Marchicorum Annalium auctor, ſcribit *B. JOH. ANDR. QVENSTEDT in Dialogo de Patriis Illuſtrium doctrina & ſcriptis virorum p. m. 196. edit. Witteberg. cIↃ IↃc LIV. in 4to.* Exquiſitæ diligentiæ Vir *JOH. MOLLERUS* in Iſagoge ad Hiſtoriam Cherſoneſi cimbricæ P. I. c. I. §. 4. p. m. 5. edit. Hamb 1691. in 8. quærenti reſpondet ſequentia: *Claſſibus hiſce (de Holſatio, ejusque Statu atque Ordinibus 1592. in 4. Hamb edit.) & Ranzoviani benignitati, maximam laboris ſui partem debet ANDR. ANGELUS, Strauſberga Marchicus, oppidi patrii Paſt. ac Præpoſitus. lue peſtilenti A. 1598. extinctus. Hujus Chronicon Holſaticum, quod Witteberga. A. 1597. (in fol.) prodiit, vernaculum, diligentia haud vulgari, ſed ordine potius Chorographico, quam Chronologico, congeſtum, in duas dividitur partes, quarum prior Familias Cimbriæ Equeſtres ſerie Alphab. (libb. 2.) recenſet, poſterior autem de ſingularum civitatum (quibus Bredſtadiam, Gardingam, & Wedeliam male annumerat) nomine, ſitu, conditoribus, calamitatibus publicis, & inſignibus, ſectionibus quinque, commentatur.* Audiamus quoque ipſum! Andream Angelum in Præfatione ſ. Dedicatione, qua Joachimo Friderico El Brand. ſacros eſſe ſuos voluit Annales Marchiæ Brandenburgicæ, p. m. 6. (qui numerus a mea eſt manu) edit. hic in fol. 1598. loquentem; *Weil es denn alſo natürlich iſt ſein Vaterland zu lieben, ſo bin ich auch merentheils dadurch zur Beſchreibung dieſer Märckiſchen Chronicken bewogen worden: Sintemahl ich nicht allein in der Marck gebohren und auffzogen bin, ſondern auch an dreyen Oertern, als anfänglich in mein Vaterland zu Strauſsberg, nachmahls zu Brandenburg,*

burg, und folgendes zum Berlin an Schulen gedienet, und endlich auff anhalten auch eines Erbarn Raths zu Straußberg von E. E. F. und F. G. G. Herrn Vater (seeligen und löblicher Gedächtnüß) zum Pfarrherrn daselbst angenommen und bestätiget worden. Idem paullo ante hæc: *Denn das Eyß habe ich anfänglich müssen brechen, habe auch viel und große Reisen auff mich nehmen, und mancherley Oerter, Lande, Bibliothecen, Kirchen und Clöster besuchen müssen, darüber mein Patrimonium, welches gleichwohl noch ziemlich gewesen, fast darauff gegangen, wie vielen bewust.* Annum vero nativitatis non MDC. esse, ut supra in Qvestedtio legitur, sed clɔ Iɔ LXI. A. D. XVI. Cal. Decembr. ipse Angelus testis est fide dignus in cit. Annal. Marchiæ Brandenb. p. 360. his: *Am Sechzehenden Tage des Wintermonaths* (præcesserat *Im tausend fünffhundert ein und sechzigsten Jahr nach Christi Geburth*) *ist zu Straußberg in der Mittelmarck, des Churfürstenthums Brandenburg gebohren, M. Andreas Engel, dieser Annalium Autor.*

Ceterum de Marchicis dum ago, succedit memoriæ, quod in prima Dissertatione de Epistolis MSCtis excellentis Polyhistoris THOMÆ CRENII, quarum in eadem aliquot emisi, extrudendis in publicum quædam promiserim; quare ut illa servem promissa, hic iterum Decadem dabo foras, reliquas commodius reservaturus in tempus. Sint vero hæ:

27.

Illustri & excellenti doctrina Viro D. Georgio Wolfgango Wedelio, Medico incomparabili Th. Crenius S. D.

APhrodisiensem neque tabernis in librariis, neque in auctionibus temere promercalem haberi, sicuti forte facile credis, ita tibi persvadere nihil necesse est, cum Te qualicumque meo non donem,

donem, absit enim illa arrogantia, sed mactem exemplo, rogans ut id in mei memoriam, si mereor, retinere atque seponere velis. Opto plures & quotidianas mihi tales occasiones ostendendi Tibi, quanti Te faciam. Idem ille adfectus jussit ut obferrem Tibi XII. Animadversionum mearum partem cum Exercitatione de libris scriptorum optimis. Ex exasciatis Tuis, vel nunc nuper nobis missis, magnam cepimus voluptatem, nosterque qui eruditur animus discit & habere gratiam. Tu quod me multum amas idq. justis de caussis Te facere existimas, facis quod Tuâ virtute, bonitate, & egregii publici cura dignum est: at & erit officii mei, me cogitare, cum non pauciores, imo longe pluriores, diligendi tui caussas habeam, ne in amore quidem ac benevolentia Tibi concedere. Vale A. D. IV. Kal. Quintil. 1704. Lugd. Bat.

28.

Amplissimo & Clarissimo Viro Petro Bælio Thom. Crenius S. D.

Sicuti grata Tua me hic vivere debere consvetudine privatum, semper cordi meo doluit: ita longum tuum silentium in doloris cumulum accessit. Putavi enim aut Te a nobis abalienatum, aut oblitum nostri fuisse, licet nos nostris non defuerimus partibus quotidie ex amicis ad nos invisentibus Rotterodamensibus, quomodo te haberes, inquirentes, & Te vivere, accipientes, quod ut diu sit, apud DEUM ago. Monstravit hic mihi unus ex amicis, Te multos inter egregio in Tuo opere & me, unum e multis adduxisse, quod quô minus mereor, eô magis studebo, in qualibuscumq. scriptis meis Tui me fuisse observantissimum patefacere seculo; Mihi sufficit posteritatem aliquando scituram, nos Tibi non fuisse ignoratos. Quæ de Allixio mones secundæ fortè nostrarum Animadversionum partis illius editioni addam, quam non despero, cum partem primam semel atq. iterum nos apud in Belgio evulgatam, jam Oxonii tertium curent, a me multis modis auctam & emendatam, secunda enim editio hic me clam edita est vitiosissima. De Plinii Basileensi a Galenio anno clɔIcXXV publica editione nihil mihi compertum est, planeque credo erratum 2. pro 3. esse. Quod primùm editus sit, Verona an. clɔCCCCLXVIII. deinde Romæ

& Parmæ an MCCCCLXX. & paullo post Venetiis An. MCCCCLXXII in fol. adcurante Joh. Andreâ Valerienſi in Corſica Epiſcopô, Te non fugere poteſt. Scriptores in eum recenſet Joh. Harduinus. Vitam Joh. Valentini Andreæ nunquam habui, ſed exſtare ſcio. Deſtituor etiam Parte I. & II. Oration. Ciceronis, non III. quam habeo, in quas non jacobus ſed Johannes Sturmius præfatus eſt. Ceterum ſi ulla officii ratio Tibi a me proficiſci poſſit, quantum eniti navareque poſſum, libentur præſtabo; & ſi ceteris minus queo rebus, amore certè gratique animi ſignificatione & litterarum etiam crebritate tibi reſpondebo. Vale. Lugd. Batav.

29.

Nobili & erudito Chriſtiano Wedelio
S. D. Thom. Crenius.

VElut deſiderium & adfectum tuum non ignoro, ita quoque exoſculor eum, de meo ne dubites velim. Diligentiam in rariis & ſelectis conquirendis philologicis libris non poſſum non laudare; at adhibendum eſt judicium, ne pro theſauro carbones. Quia in Animadverſ. mearum parte II. p. 10. laudavi optimam Baſileenſem editionem, Landino non indigemus, quippe in qua is continetur. De Eraſmi Apophthegmatibus habeas, quod Lipſienſis multo ſit Baſileenſi correctior, licet non plenior. Loſſius non accedit ad Bangium, multo minus ad Voſſium, quorum alterum, cum primis hunc, ſi comparaverimus, Loſſio carere poſſumus. Goclenii Analecta tibi commendata habeas: utiliter enim hæc jungi poſſunt. Cellarii Antibarb. & Curis poſterioribus, uti & Joh. Vorſtio de Latinitate falsò & merito ſuſpecta. Gribaldum ſi haberem, evulgarem aliquando. De Ramo & Freigio puto me dixiſſe in Methodis, nec ut emas diſſuadeo. Habes quæ videntur mihi; at in eo erras, quod nobil. Dnn, Frederum & Dilgerum putas meo nutu tibi Animadverſionum partem obtuliſſe, a ſe enim fecerunt & meritô tuô Te cum omnibus amant humanioribus: Occupati jam ſunt curandis in exſequiis popularis ſui, cui Tu non nihil ſuccenſueras. Nemini noſtrum faceſſet negotium impoſterum, nam nudius quartus acuta febre exſtinctus eſt. Kühnii QQ. Philologicas exſpecto propediem, Tu vide quam audacem me comitas tua

fecerit

fecerit. Vale ſuaviſſime Amicorum, & ſi itavis, mi Fil. Lugd. Batav. a. d. XII. Kal. Decembr. ∞ IↃcIc.

30.

Eximio & ornatiſſimo Juveni, Andr. Langio, Lubecenſi, J.U.C.
Thomas Crenius S. D.

CUm ea Tibi ad me inviſenti exhibuerim tantùm, quæ ſine immodeſtiæ & moroſitatis nota, prætermitti non poterant, gratiarum actionem a Te non deſiderabam, vehementer tamen gaudeo, meum Tibi officium fuiſſe gratum. Argumentum Diſputationis & Epiſtolæ Tuæ continet ſententiam, ſi recte memini ſuperintendentis Veſtri quondam incomparabilis b. D. Nicolai Hunnii, magnæ ſummam ob doctrinam & eleganter actam vitam auctoritatu Theologi, Iorturæ, quæ vulgo, latine autem Quæſtio dicitur, non multum tribuens. Profectò non falsò. Sane Deum in ſua Republica iſtiuſmodi quæſtionum inſtituiſſe genus legere me non memini. hac autem Ciceronis in pro Sulla Oratione c. XXVIII. ſuccedunt memoriæ: Quæſtiones nobis ſervorum ac tormenta accuſator minatur, in quibus quamquam nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura, cujuſque tum animi tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur. *Idem in de Partitione Oratoria Dialogo, c. XIV.* Sæpe etiam, *inquit*, quæſtionibus reſiſtendum eſt, quod & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpe ſunt, moriquemaluerunt falſum fatendo, quam inficiando dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut conſvetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut morbis, vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant; *Et in oratione pro Dejotaro c. I.* Cum more majorum de ſervo in Dominum ne tormentis quidem quæri liceat: in qua quæſtione dolor veram vocem elicere poſſit etiam ab initio. *Sequitur Tullium pro more Fabius. V. Inſtitutionis c. IV. ſcribens:* Sicut in tormentis cum pars altera

ra quæſtionem vera fatendi neceſitatem vocet : altera ſæpe etiam cauſam falſa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas neceſſarium &c. *Atque hæc firmari poſſunt exemplis. De quodam Hiſpano interfectore L. Piſonis memorat Tacitus, IV. Ann. XLV. 3. cum tormentis edere conſcios adigeretur ; voce magnâ, ſermone patriô, fruſtra ſe interrogari clamitavit : adſiſterent ſocii ac ſpectarent, nullam vim tantum doloris fore, ut veritatem eliceret. Idemque cum poſterò ad quæſtionem retraheretur, eô niſu proripuit ſe cuſtodibus ſaxoque caput adflixit, ut ſtatim exanimaretur. De alio Livius XXI. 11. 6. Barbarus eum quidam palum, ob iram interfecti ab eo domini obtruncavit, comprehenſuſque a circumſtantibus, haud alio, quam ſi evaſiſſet, vultu, tormentis quoque cum laceraretur, cô fuit habitu oris, ut ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit. Angli, auctore Joann. Barclajo, c. IV. Iconis animor. p. m. 122. edit. opt. dreſd. MDCLXXX. in 8. maximorum criminum accuſati, ſcilicet in ipſam Rempublicam iniiſſe conſilia, de equuleo ſecuri ſunt. Veritatem ab ipſis per tormenta poſſe exprimi noluere, qui leges condiderunt.* Cum *narraretur Ageſilao, maleficum quempiam ac ſceleroſum hominem conſtanter pertuliſſe tormenta : ut inſigniter, inquit, miſer eſt homo, tolerantiam ac patientiam in res flagitioſas ac turpes conlocet. Complectitur brevibus totum negotium Hugo Grotius in Epiſtola ad Georgium Stupecki Capitaneum Pilſnenſem, cujus partem adjicio :* Nulla fides eſt, *inquit*, cui minus fidei eſſe debeat, quam tormentorum. Mentietur, ut ait vetus, qui ferre potuerit : Mentietur, qui ferre non potuerit. Infinita mihi exempla ſubpetunt, iſtô tam fluxô argumento interfectorum. Neque miror fuiſſe viros graves, qui Chriſtianis omnibus â quæſtionibus illis violentis ac periculoſis abſtinendum cenſerent, cum certum ſit in ſapientiſſima Moſis lege fuiſſe incognitas, & nunc Angliam ſine iis non minus tutò quam alias gentes vivere ; Romæq, dum libertas ſtetit, immunia ab iis fuiſſe civium corpora. *Tu vide eumdem Grotium in ſparſione florum ad jus Juſtinian. tit. de Quæſtionibus p. 246. & Ludovic. Vivem*

Vivem in Auguſtini Lib. XIX. De Civit. Dei c. VI. p. m. 783. quem fruſtra ſequente pagina impugnat Leonh. Coqueus Aurelianenſis in adductum Sancti locum, edit. Francof. MDCLXI. in 4. In præſentia plura ſcribere nequeo. Vale & me ama. Lugdunô Bat. A. D. VIII. Kal. Quinctil. ∞ IↃCCIIII.

31.

Docto & ornato Viro Joanni Chriſtiano Buſmanno
Thom. Crenius S. D.

Neque D. Joh. Fabricii, neque tuas priores, quarum in ultimis ad me meminiſti, vidi vel accepi litteras, etſi forte fuerunt ejuſmodi, quas in alienum incidere nolitis. Ex eo ſane tempore, quo Tu â nobis abiiſti, nullas Helmſtadiô accepi ; ut me non reſpondiſſe, nihil mirum ſit. De Volupiæ ſacello Varro IV. de LL. p. m. 39. intra muros, *inquit*, video, portas dici : in Palatio Mucionis, a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant. Alteram Romanulam, quæ eſt dicta ab Roma ; quæ habet gradus in navalia, ad Volupiæ ſacellum : *In qua verba hæc notat Scaliger.* p. m 65. *QVÆ HABET GRADUS IN NOVALIA*) Ego profectò quæ ſint iſta novalia, & quâ parte urbis fuerint apud nullum veterum invenio. Alii Navalia legunt. Ubi dupliciter erratur. nam neque ita latine loquimur, & Varro de quadratæ Romæ portis agit : cum tamen Navalia trans Tyberim fuerint, ut cognovimus ex Livio (*III. c. XXVI. & Lib. VIII. c. XIV.*) & Plinio (*lib. III. c. V.*) Plane non dubito legere parva admodum licentia : Quæ habet gradus in nova via. *De hac nova via alibi meminit ipſe. At falli Scaligerum jam olim obſervavit Famianus Nardinus lib. I. Romæ veteris. c. III. Sanè Navalia, illam fluminis partem habeo, quæ proximè S. Maria in Coſmedino eſt e regione lateris Palatii ; Nam e Palatino Navalia hæc adſpici poterant; Appellatur ea ripa hodie Marmorata a marmoribus, qua ibidem ante annos aliquot exornari ſolebant ; & primis illis Romæ temporibus facile fieri potuit, ut ibidem naves e mari flumen ſubeuntes aut ſaltem amne ſecundo ê Sabinis delabentes exonerarentur, quæ nunc ad Ripettam appellantur ; quas veriſimile eſt, cum non-*

dum tot obſtarent pontes, urbis intima penetraſſe, ibique onera ſua depoſuiſſe. Si vero templum Volupiæ alibi fuiſſet, neceſſe eſt fuiſſe, ſecundum nonnullos, inter S. Anaſtaſiæ & S. Theodori. Verum enim vero ubicunque fuerit illud ſignum in ara ejus Angeronæ fuit. qua de Dea Macrobius, I. Saturnalior. c. X. Duodecimo verò feriæ ſunt divæ Angeroniæ (*ita enim omnes mei codices habent*) cui Pontifices in ſacello Volupiæ ſacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac animorum ſolicitudines propitiata depellit. *Maſurius adjicit, ſimulacrum ejus Deæ ore obligato atque ſignato in ara Volupiæ propterea conlocatum: quod qui ſuos dolores anxietateſque diſſimulat, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Idem lib. VII. Saturnal. c. IX.* Angerona (*ſic legunt hic mei libri*) digito ad os admoto ſilentium denunciat. *Plinius lib. III. c. V.* Diva Angerona, cui ſacrificatur ad Diem XII. Cal. Januarii ore obligato obſignatoque ſimulacrum habet. *Solinus c. I.* inter antiquisſimas ſane religiones ſacellum colitur Angeronæ, cui ſacrificatur ante Diem Duodecimum Calendarum Januariarum: quæ diva præſul ſilentii iſtius prænexo obſignatoque ore ſimulacrum habet. *Uterque & Plinius & ſolinus loquitur de Angerona & de proprio Romæ nomine, quod vulgari nefas erat. Neque enim omnis ſilentii præſes erat Angerona, ſed iſtius, quo nomen alterum Romæ taceri, tegique Religio jubebat; ſi quidem ob hoc ipſum Angerona Dea facta eſt, & obligato ſignatoque ore ſtatuta. Unde & Angeronam quidam numen tutelare Romæ eſſe tradiderunt, cujus etiam nomen ne publicaretur, arcanis ceremoniarum erat ſancitum, haut minus quam Romæ. Servius in I. Æn. 281. e Fuldenſi Mſcto editus*: Peritè, non ait Romam, ſed Romanos: Urbis enim illius verum nomen nemo vel in ſacris enunciat. Denique Tribunus plebis quidam Valerius Soranus, ut ait Varro, & multi alii, quia hoc nomen auſus eſt enunciare, ut quidam dicunt, raptus a ſenatu, & in crucem levatus eſt; alii, metu ſupplicii fugit, & in Sicilia comprehenſus a Prætore, præcepto ſenatus occiſus eſt. Hoc autem urbis nomen ne Hyginus quo-

quoque, cum de ſitu urbis loqueretur, expreſſit. *Atque Salmaſio auctore c. I. Plinianar. Exercitationum in cit. Solini loc. p. m. 6. b. F. inde dicta Angerona, quod quaſi angeret & cohiberet os loqui volentium ſilentiumq. indiceret. Non tamen Angerona, ut vult Joſ. Scaliger Conjectaneis in Varronis loc. cit. p. m. 78. princ. dicenda, ab angendo ore, ſed ſimpliciter ab angendo vel angerendo. Angero ab ango dicebant veteres, ut lambero a lambo. Inde Angerona ſive Angeronia. Verba Scaligeri ſubpono, quia Conjectanea iſta rara ſunt: ANGERONA*] libentius ſcripſerim Angerona, quia cohibet os. Eſt enim Dea ἐχεμυθίας. ut Sophocles: ὧν καὶ χρυσέα κλῆις ἐπίγλωσσα βέβακεν. In Gloſſis Philoxeni Angeronia exponitur ἡ θεὸς τῆς βυλῆς καὶ κατεῶν i. e. Dea conſilii & temporum, quia anima omnis conſilii ſilentium. At hoc Conſo tribuit in Conſualia Feſtus. Conſualia, inquit, ludi dicebantur, quos in honorem Conſi faciebant: quem deum conſilii putabant. *Idem in Angerona. p. m. 29, edit. Amſteled. MDCXCIX. in 4.* Angeronæ Deæ ſacra a Romanis inſtituta ſunt, cum angina omne genus animalium conſumeretur, cujus feſta Angeronalia dicebantur. *Vide plura de Angerona in Gyraldi Syntagm. I. Hiſtoriæ Deor. col. m. 57. ſ. & de Portis Romæ Alexand. ab Alexand. IV. Genial. Dier. c. XVI. p. m. 1059. ſ. Fabricii controverſias cum Reformatis vernaculas à Te factas eſſe accepi. Eorum, quæ præſens recepiſti, nihil vidi. Vale. Lugd. Batavor. A. D. Idus Martii. ∞ IↃCCV.*

32.

Thom. Crenius Nobiliſſimo Juveni Damaſo Peſſero S. D.

Veluti non tam qualicunque, etſi fideli inſtitutioni meæ quos minimè contemnendos in litterarum ſtudio profectus tribuo; quam polito ingenio optimæque tuæ indoli; ſic & prolixam tuam, quam mihi eos propter gratiarum actionem dicis, nulli meo merito, ſed grato & benigno tuo in me animo debeo. Cum primum ad Te inſtituendum acceſſi, de brevi expeditaq. docendi via, quam res poſtulare videbatur cogitavi, poſthabitiſque iis omnibus, quæ juventus noſtra ſcholaſtica in futuræ ſpem oblivionis non ſine tædio & diſpendio temporis addiſcere debet, Deo benedicente feci, ut

nullo

nullo fere labore aut moleſtia tua tantum paucis menſibus profeceris, ut Teque meque pœnitere non poſſit. Jam vero inceptum, duce unico noſtro Belgii totius ornamento Grævio, [quem ſalvere jubebis meo nomine plurimum] decurres laborem, & ampliora ſpatia. Enim vero de Juſtino & Melâ totus τῷ πάνυ adſentior, nec poteſt quis aliter niſi invidus vel indoctus. Gaudeo Te confirmari à viro ſummo in mea tibi ſæpius inculcata de Juſtino ſententiâ. Pomponium Melam ſcriptorem hiſpanum, antiquiſſimum & elegantiſſimum Geographum planè probo. Stylo ejus nihil in hoc genere aut brevius aut purius & clarius. Equidem cum Andrea Schotto in ea ſum hereſi, ut ne Ciceronem quidem, ſi geographica, quæ ſcribenda ſuſceperat, abſolviſſet, elegantius ſcripturum fuiſſe putem. Aliud eſt enim orationem, aliud hiſtoriam, aliud terræ ſitum deſcribere; ut enim illorum dicere & narrare, ita horum depingere & delineare. Sic qui de Agricolatione & re ruſtica ſcripſerunt, Catonem, Varronem & columellam, nemo facile eò in ſcribendi genere vicerit. Eſt enim omnium artium ſuus dicendi genius, lepos & venuſtas: propria cujuſque vocabula, quæ alibi uſurpata gratiam amittant. Hæc probè intuens Grævius haud fruſtra hunc ſcriptorem vobis enarrandum ſuſcepit. At tu fruſtra, noſtro in publicato nuper, & jam prope diſtractô Methodorum libro, (quo de Grævii conſumatiſſimum deſidero judicium,) catalogum hiſtoricorum quæſtiſti. nam habebis illum in proxime jam edendo â nobis volumine methodorum ſecundo, quod quam primum excuſum erit, procul habita omni mora habebis. Si per me ſtetiſſet, jam dudum è ſcriniis meis evolaſſet, at nunc obſtat bibliopola, quem penuria pecuniæ & chartæ premit. Habeo quædam non inutilia ad prelum parata ſcripta, quibus excudendis ſi Schoutenius veſter, vel alius apud vos bibliopola ſumptus impendere vellet, lucri materiam ipſi non defuturam ſponderem. Tu quæſo confer Te ad unum vel alterum ex his, & fac ut me conveniant; forte non ingratam ipſis exhibebo edendi materiam. Quod tu ibi erga me, id ego hic erga fratrem tuum conſervabo officium, meamque in eo monendo, erudiendo, & docendo fidelitatem & benevolentiam oculis perſpicies,

cies, & manibus palpabis: Concedendum eſt ipſi aliquid licet non ſemper ex æquo reſpondeat. Scis puerorum naturam. Sat cito, ſi ſat bene. Fert me monentem, & dicto mihi audiens eſt: a me omnia ſumma in Te & Tuos ſtudia officiaq. exſpecta, non fallam opinionem tuam. Ampliſſ. Dn. de Welland, patronum noſtrum reverenter ſuſpiciendum cum ſanguinis ſocia ſaluto ex animo, ejusque me benevolentiæ maximopere commendo. Uxor mea & Arkenboutius te bene agere jubent. Vale.

33.

Viro plurimum reverendo, & pietate atque doctrina conſpiciendo in paucis M. Andreæ Hardero, Theologo Auguſtano graviſſimo Thom. Crenius S. P. D.

Mirum eſt, quod in ultimis tuis de Te nunquam ſatis laudando candore mihi excuſas, cum Te in ceteris ob eumetiam valde diligam. quamquam enim candor in hoc ævo res intermortua pene: fugio tamen doloſos, callidos & ad fraudes acutos, & ſi qui tales ad me accedunt, poſtquam eos ſic eſſe comperi, vito.

Μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλᾶν πεφυκόϛα,

Χρηϛὸν λόγοισι, πολέμιον δέ τοῖς ϛρόπεις. *juxta vetus Epigramma, quod Zenodotus citat. Non video tantas opus eſſe ambages Tibi, ut cum Cicerone & Plauto ſtruam, totque ex ipſo vero depromtas excuſationes, cùm Te minime lateat, meâ parum intereſſe, meq. nihil quæſtiviſſe. Splendidiora ante menſem recuſavi. Non intercedo quo minus epiſtola mea, qua reſpondi, a Te & a nemine non legatur; ex ea enim parebit, an condixerim, nec ne. Quô pactô apud vos vivere intenderim, puto me ſatis explicâſſe Tibi. Iſtud munus ſicuti neſcivi, ita nec ambivi, nec cogitavi. Egone Tibi & Tuis obeſſem? in Tui & Tuorum commodum veſtram me olim elegiſſe civitatem adfirmo Tibi. Sed hæc hactenus; indigna enim mihi vel uno adhuc addendo res eſt. D. Langii viri omnium integerrimi pariter & doctiſſimi Diſputationes accepi habuique jam ante earum aliquas, e quibus perſpexi hominem omni doctrina eruditum eſſe, ſingulari innocentia & ad exemplum virtutis natum. Immortales pro iis Tibi gratias ago, rogoque, ut per occaſionem Theologum iſtum meo nomine ſalutes.*

Mea Tibi destinata quin acceperis nullus dubito, acerbè autem fero, iisque adeò me a Te negligi, ut ne quidem verbo indicare mihi dignatus fueris Te libros accepisse. Nolo Te impedire, scio varia & gravia tua negotia; duo tantum verba volo..... respondi & eam epistolam a Te illi mittendam cum hac conjunxi. Athanasium nactus Tibi me plus debere arbitrabor ferè, quam ipsi Honorio. Benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non adsequar. Vale, et, si me vivere cupis, scribe, ne utrum librorum particeps factus fueris nesciam. Salutem quam Tibi & Tuis mitto, ad filium quoque transscribe. Lugd. Batav. A. D VII. Idus julii, postridie quam Tuas accepi, d. XVII. April. datas, quod addo, ut scias, me minime in culpa esse tam tardi & lenti responsi. ∞ Iɔcc III.

34.

Viro cultioris litteraturæ, Consultissimo, Clarissimo, Sam. Pitisco Thom. Crenius S. D.

Certior communi ab amico nostro Nobiliss. Almeloveenio, qui non ita pridem ad me invisit, factus, novam Te Aurelii victoris ad mentem moliri plane meam editionem, cum integris sc. omnium, quotquot hactenus exposuerunt eum, eruditorum notis; rogatusque ab illo ipso Almeloveenio, huic ut laudabili suppetias e qualicumque bibliotheca ferrem conatui: ductus incredibili, quo flagro, non solum egregii amore publici, sed & quod in praesenti caput est. Tui statim annui, nihil cum Tullio nostro in Lælio amicitia praestabilius esse putans, quam non ita pridem me tecum junxisse, succedebat memoria. Ostendi ipsi itaque raras & doctas Conradi Lycosthenis dictum in Aurelium (quem C. Plinium secundum Novocomensem putat) adnotationes ex edit. Joan. Oporini Basileensi optima, in quibus multas romanorum leges, ceremonias, ritus, consvetudines, ceteraque infinita, qua historias, & praesertim romanas, legentibus sæpe numero occurrunt, explanavit. Et ita quidem, ut non modo concinnam Aur. Victoris brevitatem fusius explicent, sed methodi aut potius indicis vice ad reliqua romana historia, à quocunque scripta sint, monimenta probe intelligenda, usui esse, & plurimum utilitatis adferre possint. Tu videas, legas & edas una cum praefatione, quam sicuti nullam ulli-

bi, ita nec hic negligendam velim. Adtendas & in calce addita errata, ut mendæ tollantur, Tuaque ad nos emendatissima veniat editio, suppeta cara manu tua; Cujus exemplum in Tui veluti memoriam peto, ita Tuis in ad me datis recepisti, gratus. Si in tua, quam præmittes, præfatione, nos amicos esse meminisse velis, non intercedo. Tui enim data occasione & in meis a me editis mentionem feci, nec omittam imposterum. Itineri accinctus aliisque negotiis oppressus bibliothecam meam in tanta temporis angustia excutere non potui, redux factus otiumq. nactus, non prætermittam. Si quidquam tuam diligentiam fugiens invenero, bona fide communicabo: In præsens nihil benigne possum promittere. Vale, Vir eruditissime, teque recte has meas accepisse vel verbulo indica. Lugd. Bat.

35.

Eximii ingenii & doctrinæ Viro Theodoro Jans. ab Almeloveen Th. Crenius S. P. D.

Quum mei memoriam epistola Cl. Cellarii tuô beneficiô mihi olim traditâ renovatam in Te viderim, XI. Animadversionum mearum partem in grati animi Tuique memoris testimonium in præsentia Tibi exhibere volui, ignarus an priorum particeps esses, nec ne; quibus si cares, damni nihil facis. Non enim planè aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus; quamquam aliis non item. Ut ut sit, hanc certis de causis in officinis libraris non temere reperiendam, dictum in finem Tibi destinare volui, rogans eam ut æqui bonique consulere velis. Ego Te mihi semper amicum esse volui, me ut Tibi amicissimum esse intelligas, laborabo. Vale. A. D XVII. Kal. Octobr. 1702. Lugdunó Batav.

36.

Nobilissimo & eruditissimo Viro Joh. Burch. Menckenio Thomas Crenius S. P. D.

Tullii jucundiores hoc ipso non memini me accepisse anno litteras, quippe qua non solum Tuam confirmarunt amicitiam, verum etiam honorem, de quo & Tibi & Parentibus & Patriæ gratulor, oranx præfixus singulis ut obtingat scopus. Pluribus ob nostri memoriam & transmissa gratissima Tecum agerem, nisi me

Tibi præsenti aperuissem & institutum meum ; quod uti cœpisti, publiceque prædicabo, ut secundare pergas etiam atque etiam rogo. Addita ut ex parte Dresdam mittas, ex parte tibi serves velim. Vincor qui sic pugno ; amplius enim reponis, quam accepisti ; At hæc Tua felicitas est. Ego desino & Te valere jubeo. Scrib. Lugd. Bat.

Sed ne ad aliud, quam de quo agitur, abducar: ad Medicos transeo. Inter Hos ergo famam adepti sunt permagnam, ceteros ut taceam alio tempore commemorandos, JACOBUS BERGMANUS, & JOHANNES KNOBLOCHIUS, Med. Doctores & Professores Publici Ordinarii hac in Universitate. Repeto Eorum memoriam ex libro quodam MSCto Facultati Medicæ sacro & fide dignissimo, quo in Ordinem & seriem Professorum Medicorum legere mihi fuit concessum. Huic Christophorus Pelargus jucundum præfixit Epigramma, quod ab instituto nostro non alienum profero nunc quidem primus sequentibus verbis:

Ad clarissimos & excellentissimos viros facultatis Medicæ Doctores & Professores publicos Academiæ Francofurtensis Epigramma.

Qui vestras videat leges, haud ille putabit
Tot medicos una nocte dieque dari :
Non modo naturam, doctamque requiritis ārtem,
Tempus, ad Hippocratis jussa, simulque locum :
Sed vigilem curam, verumque requiritis usum,
Quo sine, quis Phoebo judice, doctor erit ?
I nunc & Medicis passim te præfer, agyrta,
In quo nec cerebrum, nec fuit artis amor.
I nunc & medicum te dic, quicunque vel unum
Vel mensis aliquot qualiacunque legis.

Qui

Qui coquis argenti massas, aurumve resolvis,
I modo Mercurium dic tibi propitium.
Legibus his savis ; o salvas numina præstent!
Stellio, quisquis erit, nullius assis erit.
At tu CNOBLOCHI, tua laus BERMANE vigebit,
Et MOLLERE tuus non morietur honos.
Sit tantum cultor, non ars, non artis amator
Sedulus, amittent nomina grata Deo.

Scrib. Christophorus Pelargus S. Theol. D. & Profess. Græcæ Linguæ XVIII. IXbr. anni 89.

De JACOBO BERGMANO vero hæc reperi scripta: *Anno 1595. die 27. Januari obiit pie D.D. Jacobus Bergmanus, Collega noster honorandus, anno ætatis 68. Natus erat Bernovii, quod est Marchiæ oppidum, anno Christi 1527. in vigilia Philippi & Jacobi. Missus est adolescens in hanc Academiam ao. 1543. Laurea philosophica ornatus a Decano M. Simone Willich ao. 1545. Magisterii gradum consecutus est anno 46. Decano Dn. Jacobo Jokisso ; Deinceps elapso decennio in ordinem professorum primum cooptatus Græcæ lingvæ inferiorisque Matheseos fundamenta publice tradidit. Doctor Medicinæ designatus est a Decano D. Johanne Knoblochio ao. 1559. Triennio post hinc in aulam illustrissimi principis & electoris D. Joachimi II. &c. piæ memoriæ : indeque Stendalium versus & Brandeburgum ad exercendam artem medicam evocatus : & anno 1581. q. postliminio reversus in hanc Academiam Mathematum Professor superior, tandemque anno 1586. Medicinæ Professor, est designatus. Magistratum in republica nostra ter sustinuit. Decanatus officio in nostra facultate quinquies est functus. Cujus in defuncti locum successit D. D. Sebastianus Mollerus.*

Et de JOHANNE KNOBLOCHIO legi sequentia:

Anno

Anno 1599. die 1. Februarii pie obiit Clariſſ. & Excellentiſſ. Vir Dn. D. Johannes Knoblochius, Medicinæ Profeſſor ejuſdemque facultatis Senior. Qui natus eſt in hac Urbe anno Chriſti 1529 patre Martino Knoblochio, Reip. oppidanæ ſenatore & Camerario. Laurea Philoſophica ornatus eſt a M. Lichtio, Dialectices Profeſſore anno ætatis 19. Magiſterii gradum paulo poſt conſequutus eſt Decano D. Willichio Seniore. Annos cum natus eſſet 22. accinxerat ſeſe ad iter italicum, ſed ſubſtitit biennium Witebergæ, ubi uſus eſt familiaritate Philippi Melanchthonis & Medicorum clariſſimorum. Deinde perluſtratis aliquot Academiis Italiæ Doctor Medicinæ deſignatus eſt Patavii a Buſſiano Lando, patricio placentino, cum annum ageret ætatis 27. In ordinem Profeſſorum Medicinæ aſcitus eſt anno Chriſti 1562. ſuſtinuitque docendi labores in annum uſque trigeſimum octavum. Magiſtratum in Rep. academica geſſit quinquies. Ob medendi peritiam grata fuit ipſius opera cum quam plurimis aliis, tum vero illuſtriſſimis ac ſapientiſſimis principibus Joachimo II. Imperii Romani ſeptemviro, & fratri ejus Marchioni Joanni, quorum hic archiatrum corporis ſibi eum delegit, uterque manum ejus non infelicem aliquoties ſenſit Ex hac vita in immortalem & in Academiam cœleſtem tranſiit febre hectica putri emaciatus anno ætatis ſeptuageſimo, quo Galenum etiam vivis exceſſiſſe annotat Suidas. Defuncto ergo ipſo facultatis Senior deſignatus eſt Dn. D. Sebaſtianus Mollerus, & in locum ſecundi Profeſſoris medici ſuffectus ſum ego Georgius Seilerus 25. febr. ao. 1599. tertii vero Profeſſoris locus aſſignatus eſt Dn. D. Chriſtophoro Stymmelio menſe octobri an. ejuſdem.

In fine adnoto, ſcripſiſſe quoque GEORGIUM SABINUM, de quo pag. 7. egi, *Hiſtoriam de Vita Hugonis & Theodorici Marchionum Brandenburgenſium*; item *de Appellatione, Situ, moribus ac populis Marchiæ Brandenburgenſis;*

ſis; nec non *de Brandenburgo metropoli Marchiæ;* quae deinde conlecta Reiner9Reineccius ad Origines illuſtriſſ. Stirpis Brandenburgicæ An. 1581 in fol. Francof ad Moen. edit. p 63. ſ. adnecti juſſit publicũ in cõmodum. Et hic B. mei Parentis dum revoco memoriã, moneo, me in Diſſertatione I. p. 14. inter ſcripta ejus oblitum fuiſſe pientiſſimi alicujus libri, quem prelo ſubjici iterum curavit h. t.

Laurentii Bochelli Enchiridion Chriſtiani ICti. Francof. ad Viadr. 12. 1675.

Eadem methodo vitia excuſo typographica, quae l. c. p. 36. & 39. leguntur, cetera ut taceam leviora, quippe *Exercitia ſacra Crenii* non 1705, ſed 1704. prodiiſſe palam eſt. De Barthio quoque properans ad finem addo, quae Cel. DAUMIUS *in Epiſt. 14. ad Reineſium p. m. 37.* de Eodem monuit: *Si ambitioſior,* ſcribit, *quibuſdam videtur Barthius, eum tamen non credimus, qui novimus virum propius. Lege talionis Germanorum omnium contemptoribus & ambitioſis ſui jactoribus, ſine magna tamen adeo re, quos ſcimus, ita erat obviandum. Qua de re illum eò amamus impenſius, quod Patriam vindicavit ſtudioſius. Cogitemus, ſi quid peccatum, ætatem ejus adoleſcentiorem, quæ fervidius luxuriat. Cogitemus tempora, & ſtudiorum ante eum rationem. Quanta in talibus, & præcipue, quod auctores ipſos attinet, major hodie philologorum pars ignoraret, abſque eo fuiſſet? Etiam eo adoleſcente uti doctore non erubuerunt* Taubmannus, Siberus, Schmidius. *Quæ* Gruteri, *aliorumque apud exteros Virorum de eo tum lata fuerint judicia, domi eorum litteræ aſſervatæ partim, partim lectæ docent. Diligentia & labor in eo ſtupendus, ſi tantum cogito, quæ habeo & vidi inedita, nec unquam edenda. Quam facile Quartum & Quintum Adverſariorum Tomum, & quidem primo accuratiores potuiſſet concinnare, ſi tanti putaſſet, & in libros ſchedaſq. conjectas annotationes ſuas aliorum uſui cedere non maluiſſet. De moribus, quæ invidi nugati ſunt, quorumque cauſa ego ignotum meo malo abhorrebam, rem aliter quindecennali hac cum eo converſatione comperi. Adeo quicquid de eo dixerunt ſcripſerunt que; ego hactenus prorſus credere*

re abnui, cujus intima neſcio an æque alii patuerint. Excell. & ingenuæ Vir veritatis, *THOMAS CRENIUS in Præfatione, quam Vol. II. Theſaur. Libr. Philol. & Hiſt. præfigere voluit, p. m. 51.* idem cum veriſima fronte de noſtro dixit Cive incomparabili, meritus ut ejus ſubponam verba ſequentia: *Si dicendum quod res eſt, indefeſſum ſtudium & cura publici attulerunt has obtrectationes Barthio & odia; cum enim illud tempus, cujus erat avariſſimus, quodque alii litteris ſcribendis favores hominum concilian-tibus & adulationibus atq. emenditatis longeque quæſitis laudibus impendebant, ut ſe ſuaque claris viris commendarent; ſtudiis daret; in amicis parandis, ſcribendis epiſtolis & emendicandis laudibus non admodum erat ſollicitus, ſimilis Antigenidæ tibicini, qui diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe adprobanti, cunctis audientibus dixit: Mihi cane, & Muſis. Quia videlicet, quod ſubjicit Maximus Valerius, III. VII. ext. 2. perfecta ars fortunæ lenocinio defecta fiducia juſta non exuitur: quamq ſcit ſe laudem mereri, eam etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert.*

Haec ad TE, OPT. MAX. MÆCENAS, in praeſenti ſcribere volui, ut ſciant mortales, me tuorum memoriam meritorum erga me nullo non conſervaturum tempore; nihilque mihi magis eſſe curae, quam obſervantia ut haec mea, qua TE ſuma colo, ſi non placeat, attamen non diſpliceat omnino TIBI. Id quod etiam atq. etiam ſingulari ſtudio â TE vehementer peto. Facies igitur, ut quaſi lumen de tuo accendam lumine ſydereo; impoſterumq. multas, vel quod malim, omnes meae ſuſcipies ſalutis partes & ſuſtinebis. Ego apud Deum agam, ut TE, Imperii noſtri Ornamentum, atq. Oraculum, una cũ excellentiſima Sanguinis ſocia, & celeberrimis FILIIS, qui TIBI ſoli ſunt ſecundi tuaeq. Conſervatores gloriae immortalis, ſervare velit ſalvum ac incolumem quam diutiſime. Vale etiam atq etiam. Dab. è Muſeo Francofurti ad Oderam Kalend. Sextil. cIↃ IↃCC VI.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

GEORGI PETRI Schultzen / D.

DE

CLARIS MARCHICIS

Diſſertatio Epiſtolica III.

Ad

Virum ſancta probitate, integra mente & ſingulari notitia omnium Litterarum ſacrarum, humaniorum & Philoſophicarum excellentiſſimum, nec non ad uſum & diſciplinam peritiſſimum

JOH. GEORGIUM RÖSERUM,

S. S. Theologiae & Philoſophiae Doctorem ac Profeſſorem Publicum, & in Gymnaſio Regio Stetinenſi Rectorem celebratiſſimum.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

FRANCOFURTI ad VIADRUM.